OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS
PARISIENSIS

AUCTORITATE S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI


MAURITII CARDINALIS FELTIN

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI

EDITA

500.284

PARS AUTUMNALIS



TURONIBUS
TYPIS MAME
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

Scanné avec CamScanner

LICENTIA ET APPROBATIO

MAURITIUS FELTIN

Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia

TITULI SANCTÆ MARIÆ DE PACE

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER CARDINALIS

ARCHIEPISCOPUS PARISIENSIS

DILECTIS Nobis filiis Mame, Apostolicæ Sedis typographis ac Nostris, Proprii Parisiensis textus, sive jam antea editos sive ex parte recentes, a Sacra Rituum Congregatione modo approbatos, edendos commisimus.

Cum autem in edendis libris liturgicis eorumque partibus, juxta canonem 1390, debeat de concordantia cum editionibus approbatis constare ex Ordinarii loci attestatione, cumque per censores a Nobis deputatos, diligenti facta collatione, certiores facti fuerimus textus ibidem excusos de Kalendario perpetuo et de Proprio divini Officii recitandi cum originali omnino concordare, hoc Proprium approbavimus, et per præsentes litteras approbamus, atque evulgandi licentiam damus, servatis sacris canonibus et rubricis.

Datum Parisiis, sub signo sigilloque Nostro, atque Cancellarii Curiæ Nostræ Archiepiscopalis subscriptione, anno Domini 1953, die vero mensis Februarii secunda, in festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

† MAURITIUS CARD. FELTIN
ARCHIEPISCOPUS PARISIENSIS

Locus † sigilli.

De mandato EE. ac RR. DD. Card. Archiepiscopi :

Ernestus MÉRESSE
Præl. S. S., Can. tit.
Cancellarius.

Scanné avec CamScanner

OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS PARISIENSIS

PARS AUTUMNALIS

FESTUM AUGUSTI

DIE 29 AUGUSTI
SANCTI MEDERICI
ABBATIS

COMMEMORATIO

IN I VESPERIS

Dominica I Septembris occurrente, in Vesperis Sabbati fit Commemoratio præcedentis S. Augustini :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus : et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum.

Deinde Com. Decollationis S. Joannis Baptistæ :

Ant. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. Quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Sancti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quǽsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum.

Postea Com. S. Mederici Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Famíliam tuam, Dómine, in tua misericórdia sperántem, cæléstí prótege benígnus auxílio : ut, quæ de beáti Medeŕici Abbátis virtútibus gloriátur, ejus méritis et intercessióne, perpétua pace et unitáte lætétur. (Per Dóminum.)

Ultimo Com. S. Sabinæ Mart. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD LAUDES

Fit Com. Decollationis S. Joannis Baptistæ :

Ant. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. Quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio Sancti Joánnis, ut supra.

Deinde Com. S. Mederici :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Scanné avec CamScanner

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Famíliam tuam, ut supra 4

Ultimo Com. S. Sabinæ Mart. :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Deus, qui inter cétera, ut supra 4

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 1 SEPTEMBRIS

OCTAVA SANCTI LUDOVICI REGIS, CONF.

Simplex

In II Vesp. S. Raymundi Nonnati Com. S. Ludovici :

Ant. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum ; et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes.

Deinde Com. S. Lupi Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui devóta sancti Lupi Confessóris tui atque Pontíficis instántia, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti : da, quǽsumus ; ut cujus gloriósis adjuvámur præsídiis, exímiis provocémur exémplis.

Postea S. Ægidii Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Scanné avec CamScanner

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio

SANCTI Abbátis Ægídii, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos adjuvári, ut quæ pie crédidit appetámus, et quod juste sperávit consequámur.

Ultimo Ss. Duodecim Fratrum Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

FRATÉRNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

REX summe Regum, qui poténti númine
Quo sunt creáta regna nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce pérsonant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus :
Piǽque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit, ántequam regat.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu :
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat ;
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque littus bárbarum
Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,

In Unitáte, quæ gubér-
nans ómnia,
Per cuncta regnat sæcu-
lórum sǽcula.
Amen.

Ant. et Pss. de Feria occurr.

Lect. i et ii de Script. occurr. cum suis ℟℟.

Bened. Ad societátem.

Ex documéntis quæ pius rex Ludovícus Philíppo fílio suo pro testaménto relíquit

Lectio iii

FILI, imprímis te móneo quod Dóminum Deum tuum díligas ex toto corde tuo et ex tota virtúte tua ; nam sine hoc non est salus. Cor hábeas pietátis ad páuperes, míseros et afflíctos. Sis semper ex parte causæ páuperis, donec sis certus de veritáte. Si quis autem contra te querélam habúerit, stes pótius pro causa adversárii tui, donec constet tibi de veritáte : et sic illi qui sunt de consílio tuo, cítius stabunt pro justítia. Si pro certo intélligas quod téneas áliquid de alièno, sive ab antecessóribus tuis, sive a témpore tuo, statim restítue. Si res obscúra sit, veritátem inquíri fácias per discrétos. Benefícia ecclesiástica persónis idóneis dona de consílio spirituálium virórum, et eis qui non habent áliud benefícium. Sis devótus et obédias Matri nostræ Románæ Ecclésiæ et summo Pontífici tamquam patri spirituáli. Labóra quod omne peccátum de terra tua remóveas, máxime autem blasphémias et hǽreses. In fine, óbsecro te, o fili, ut, si decédam ante te, fidéliter ánimam meam juvári fácias in missis et oratiónibus.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capit. 1 Esdr. 7

BENEDÍCTUS Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

TEMPLA nunc fument, resonéntque cantu :
En, triumpháto Lodoícus hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe corónas.

Hic tuos ardet reparáre cultus :
Hic gregem tuto fugitívum ovíli
Reddit : hic armis tua christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum mémor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi servit uni :
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, príinceps.

Stat tua fidens ope, fortiórque
Sumit ex ipsis ánimos ruínis :
Jura dat victus, sedet inter ipsos.
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri :
Fílio compar hómini Deóque ;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris. Amen.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne * invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Et fit Com. S. Lupi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui devóta sancti Lupi Confessóris tui atque Pontíficis instántia, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti : da, quǽsumus ; ut cujus gloriósis adjuvámur præsídiis, exímiis provocémur exémplis.

Deinde S. Ægidii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Sancti Abbátis Ægídii Dómine, supplicatiónibus tríbue nos adjuvári, ut quæ pie crédidit appetámus, et quod juste sperávit consequámur.

Postea Ss. Duodecim Fratrum Mm. :

Ant. Vestri cápilli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dñum.

Ad Primam Lectio brevis Stare, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capit. 1 Esdr. 7

Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

℟. br. Erudímini reges, * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

AD SEXTAM

Capit. Prov. 29

Rex qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex. ℣. In misericórdia Altíssimi non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

AD NONAM

Capit. Eccli. 47

Stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos : et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur tibi. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes reges terræ. Glória Patri. Confiteántur tibi.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Per Dóminum.

DIE 2 SEPTEMBRIS

Bb. JOANNIS MARIÆ DU LAU FRANCISCI JOSEPHI et PETRI LUDOVICI DE LA ROCHEFOUCAULD PONTIFICUM ac SOCIORUM MARTYRUM

Duplex majus

Capit. Justórum et Hymnus de Comm. plur. Martyrum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

Deus, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde ; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani Regis, Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Concéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus :

Scanné avec CamScanner

ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

LABÉNTE sǽculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Viri centum nonagínta unus, fidelitátem, ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, Archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Franciscus Josephus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis epíscopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

PÁRITER in Seminário Sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, pluresque doctóres

et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia Sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « La Force », prostrémis mensis Augústi diébus, áliquot presbýteri numerósis commíxti sunt láicis; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ Sancti Joánnis *en Grève*, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impetítus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes fíerent.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Servórum Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jamdúdum Ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Darboy Archiepíscopo, inde in cryptam Ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asserváta. In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi mártyres

Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vigésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mm. 1º loco.

Pro S. Stephano Rege, Conf. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

STÉPHANUS, Hungarórum rex, in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu rex inúnctus, regnum Sedi Apostólicæ óbtulit. Vária pietátis domicília Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli constítuit; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem et episcopátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Exímia in páuperes caritáte et assíduo orándi stúdio enítuit. Dei Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instítuit, ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari, e sancti Regis institúto, Magnæ Dóminæ diem appéllant. Ejus tamen festum, ex constitutióne Innocéntii Papæ undécimi, hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx, sancti Regis ope, ab exércitu christiáno strénue recuperáta fuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui Joánnem Maríam, Franciscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde; ut spiritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Concéde, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dñm.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, ut supra.

Et fit Com. S. Stephani :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Concéde, ut supra.

DIE 27 SEPTEMBRIS

In Festo Ss. Cosmæ et Damiani Mm.

COMMEMORATIO

SANCTI CERANNI

EP. ET CONF.

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ induit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Ceránnum, Confessórem tuum atque Pontíficem,

pópulo tuo præésse, et quibus præerat verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commíssis dírige in viam salútis ætérnæ ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

CERÁNNUS, post Simplícium ad régimen Parisiénsis Ecclésiæ assúmptus, virtútum splendóre cláruit. Sanctórum Mártyrum stúdio et amóre incénsus, eórum acta hinc et inde dispérsa conquisívit, et in unum corpus redégit. Eo sedénte hábitum est in basílica Apostolórum quæ deínde sanctæ Genovéfæ dicta est, concílium Parisiénse quintum, cui septuagínta novem epíscopi, Clotárii regis secúndi stúdio congregáti, subscripsérunt. Dénique Ceránnus, cum vitam sancto præsule dignam egísset, beáto fine quiévit. Sepúltus est in crypta basílicæ Apostolórum, ad lævam sanctæ Genovéfæ.

Pro Commemoratione ad Laudes :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum et Oratio Omnípotens, ut supra 14

FESTA OCTOBRIS

DIE 1 OCTOBRIS

SANCTI REMIGII
EP. ET CONF.

Duplex majus (m. t. v.)

Capit. et Hymnus de Comm.

℣. Amávit et Ant. ad Magnif. Sacérdos, ut supra 14

Oratio

DEUS, qui per beáti Remígii Pontíficis documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quǽsumus ; ut qui christiáno gloriámur nómine, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. S. Hierónymi Conf. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Hierónyme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum, Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : præsta, quǽsumus ; ut, ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Remígius Laudúni natus est paréntibus Æmílio et sancta Celínia jam ætáte provéctis. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine, qui et visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos et vigínti, ob seníles in adolescéntia mores, ad episcopátum Rheménsem præter voluntátem raptus est. Cum autem Clodovéus Alamánnos Tolbíaci, invocáto Christi nómine, debellásset, et instánti Remígio ut fidem profiterétur, respondísset veréri se ut per pópulum sibi licéret, ubi id rescívit pópulus, statim acclamávit : Mortáles deos abígimus, pie rex, et Deum quem Remígius prǽdicat immortálem sequi paráti sumus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Tum Remígius Clodovéum, quem fídei documéntis imbúerat, baptizávit ipso die Natális Dómini, his eum verbis allocútus : Mitis depóne colla, Sicámber ; adóra

Scanné avec CamScanner

quod incendísti, incénde quod adorásti. Baptizátum sacro inúnxit chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille et ámplius baptísmo initiáti sunt; simul et Alboflédis, soror Clodovéi, quæ cum paulo post decessísset, Remígius per lítteras regem est consolátus. Lanthíldis quoque, áltera ejus soror, ab ariána hǽresi revocáta, sacro chrísmate reconciliáta est Ecclésiæ.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David, servum meum: óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Clodovéum, Gothis bellum parántem, utilíssimis regno administrándo consíliis per lítteras instrúxit, eidémque auctor fuit ut concílium Aurelianénse indíceret. Cleméntia in pœniténtes erat singulári: neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos episcopátus instítuit: Teruánnæ, ubi sanctum Antimúndum; Atrebátis, ubi sanctum Vedástum; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit. Sub finem vitæ, oculórum usu orbátus est, quem tamen paulo ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus, óbiit die décima tértia Januárii. Inter ália quæ édidit mirácula, mórtuum suscitávit, ut refert liber de ejus vita a Gregório Turonénsi laudátus, qui et méminit festivitátis ejus, quæ jam suo témpore inítio mensis Octóbris celebrabátur. Beáti Remígii corpus Rhemis, in ecclésia ejus nómine dicáta, quiéscit, ubi magna religióne cólitur. Anno millésimo octingentésimo vigésimo primo, una e costis sancti prǽsulis ecclésiæ metropolitánæ Parisiénsi donáta est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est,

qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno, Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1º loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui per beáti Remígii Pontíficis documénta, gentem Francórum ab idolórum vanitáte ad veritátem tui cultus veníre tribuísti : da, quǽsumus ; ut qui christiáno gloriámur nómine, fidem nostram dignis opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Vesp. de Ss. Angelis Custod., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, ut supra.

DIE 3 OCTOBRIS

Stæ TERESIÆ A JESU INFANTE VIRGINIS

PATRONÆ SECUNDARIÆ TOTIUS GALLIÆ

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Pss. de Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua et glória Dómini cólliget te.

Scanné avec CamScanner

Capit. Is. 66, 21

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

Nomen decúsque cóncinant
Terésiæ almæ Vírginis
Qui sancta divi párvuli
Credunt amántque múnera.

Carmélis summos vértices
Patróna Mater déligit :
Terésia illuc ádvolat,
Sponsi premens vestígia.

Affláta Jesu númine
Secréta pandit grátiæ;
Magístra mundo, símplices
Infántium docet vias.

Virtútis ipsa flósculos
Olent sacráta límina,
Quæ casta virgo, ut ángelus
Immíssus e cælo, colit.

At júbilum non éxprimit.
Omnes amóris ímpetus;
Non septa magnos cláudere
Ejus valent anhélitus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ego autem in Dómino gaudébo. ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo.

Ad Magnif. Ant. Ego Dóminus * sponsábo te mihi in sempitérnum : et sponsábo te mihi in justítia et judício, et in misericórdia et in miseratiónibus : et sponsábo te mihi in fide.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quæsumus ; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Et fit Com. præced. :

Ant. Sancti Angeli, custódes nostri, deféndite nos in prælio, ut non pereámus in treméndo judício.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis ; et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Dóminum.

Complet. de Dom.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus Nomen, ut supra in I Vesp.

In I Nocturno

Ant. 1 Plácuit Deo, * qui me vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me.

Pss. trium Noct. de Comm. Vírginum.

Ant. 2 Ipse vero * scit viam meam, et probávit me quasi aurum, quod per ignem transit.

Ant. 3 Vestígia ejus * secútus est pes meus, viam ejus custodívi, et non declinávi ex ea.

℣. Exsultábo et lætábor, Dómine, in misericórdia tua. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Cánticis Canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-6

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℟. Exsultábit cor meum, Deus, in salutári tuo : * Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi, et psallam nómini Dómini Altíssimi. ℣. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Cantábo.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 2, 10-14

En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea,

colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

℟. Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: * Quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. In Deo salutáre meum, et glória mea: Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. Quia.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 5, 1; 6, 1-3

VÉNIAT diléctus meus in hortum suum et cómedat fructum pomórum suórum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo: comédite, amíci, et bíbite et inebriámini, caríssimi. Diléctus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego diécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℟. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui: * Et edúcet quasi lumen justítiam tuam: et judícium tuum tamquam merídiem. ℣. Acquiésce ígitur ei, et habéto pacem, et per hæc habébis fructus óptimos. Et edúcet. Glória Patri. Et edúcet.

In II Nocturno

Ant. 4 Jurávi tibi, * et ingréssus sum pactum tecum, ait Dóminus Deus, et facta es mihi.

Ant. 5 Ego Dóminus, * Deus tuus, docens te utília, gubérnans te in via qua ámbulas.

Ant. 6 Egréssum est * nomen tuum in gentes propter spéciem tuam, quia perfécta eras in decóre meo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Terésia a Jesu Infánte, Alensónii, in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, divíno Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur, quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigilánti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu majórum : quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex Ordine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam sub título Dóminæ Nostræ a Victória per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc, angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

℟. Factus est Dóminus firmaméntum meum : et edúxit me in latitúdinem : * Liberávit me, quia complácui ei. ℣. Deus, qui accínxit me fortitúdine et complanávit perféctam viam meam. Liberávit me.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Ut prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis hujus cibi famem hauríre visa est : unde, velut inspiráta, Jesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem

sibi vérteret. Inde, tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit quam Carmelitárum Excalceatórum Ordinem íngredi, ut, sui abnegatióne suísque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret et innúmeras ánimas Jesu Christo lucrifáceret : quod jam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis deféctum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili ánimi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

℟. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui : * Et concupíscet Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Dabit cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Quo magis Altíssimo placéret, cum in sacris Scriptúris mónitum illud legísset : Si quis est párvulus, véniat ad me : párvula in spíritu esse vóluit, et inde, filiáli fidúcia, Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios edócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita, apostólico zelo repléta, mundo, supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Jesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper, Dei caritátem undequáque neeléctam animadvértens, summo dolóre affécta,

Scanné avec CamScanner

duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est : unde, caritáte consúmpta, in éxtasim rapta, ferventíssime ingéminans : Deus meus, te díligo, vigínti quátuor annos nata, die trigésima Septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris mirráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quam Pius undécimus, Póntifex máximus, Beátis Virgínibus adscríptam, et, biénnio post, jubilæo máximo recurrénte, inter sanctas relátam, peculiárem ómnium Missiónum Patrónam constítuit ac declarávit.

℟. Dómine, quid mihi est in cælo? et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. ℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea : quóniam dedísti mihi protectiónem salútis tuæ, et déxtera tua suscépit me. Deus cordis mei. Glória Patri. Deus cordis mei.

In III Nocturno

Ant. 7 Signa et mirabília * fecit apud me Deus excélsus : et Altíssimo benedíxi, et vivéntem in sempitérnum laudávi et glorificávi.

Ant. 8 Absit autem a me, * ut cessem oráre pro vobis ; et docébo vos viam bonam et rectam.

Ant. 9 Ego deprecábor Dóminum, * et ad Deum ponam elóquium meum : qui facit magna et inscrutabília, et mirabília absque número.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 18, 1-4

In illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 37, alias 36, in Epiph. solemn., 7, cap. 3-4

TOTA, dilectíssimi, christiánæ sapiéntiæ disciplína, non in abundántia verbi, non in astútia disputándi, neque in appetítu laudis et glóriæ, sed in vera et voluntária humilitáte consístit, quam Dóminus Jesus Christus ab útero matris usque ad supplícium crucis pro omni fortitúdine et elégit et dócuit. Nam, cum discípuli ejus inter se, ut ait Evangelísta, disquírerent quis eórum major esset in regno cælórum, vocávit párvulum, et státuit eum in médio eórum, et dixit : Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut puer iste, hic major erit in regno cælórum. Amat Christus infántiam, quam primum et ánimo suscépit et córpore. Amat Christus infántiam, humilitátis magístram, innocéntiæ régulam, mansuetúdinis formam. Amat Christus infántiam, ad quam malórum dírigit mores, ad quam senum redúcit ætátes ; et eos ad suum inclínat exémplum, quos ad regnum sublímat ætérnum.

℟. Dómine, super senes intelléxi : quia lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis : * Declarátio sermónum tuórum illúminat, et intelléctum dat párvulis. ℣. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas. Declarátio.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

UT AUTEM plene valeámus agnóscere quómodo apprehéndi possit tam mira convérsio et in puerílem gradum qua nobis mutatióne redeúndum sit, dóceat nos beátus Paulus, et dicat : Nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte. Non ergo ad lúdicra infántiæ et imperfécta nobis primórdia reverténdum est, sed áliquid, quod étiam graves annos déceat, inde suméndum,

ut velox sit commotiónum tránsitus, citus ad pacem recúrsus : nulla memória offensiónis, nulla cupíditas dignitátis; amor sóciæ communiónis, æquálitas naturális. Magnum enim bonum est nocére non nosse et malígna non sápere; quia inférre ac reférre injúriam, mundi hujus prudéntia est; némini autem malum pro malo réddere, christiánæ est æquanimitátis infántia.

℟. Suscípiat ánima vestra disciplínam, in próximo est enim inveníre eam : * Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. ℣. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo. Vidéte. Glória Patri. Vidéte.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

AD HANC vos, dilectíssimi, similitúdinem parvulórum mystérium hodiérnæ festivitátis invítat; et hanc vobis humilitátis formam adorátus a Magis puer Salvátor insínuat : qui, ut imitatóribus suis quid glóriæ paráret, osténderet, ortus sui témpore éditos martýrio consecrávit; ut in Béthlehem, ubi Christus natus est, géniti, per communiónem ætátis consórtes fíerent passiónis. Amétur ígitur humílitas, et omnis a fidélibus vitétur elátio. Alter álterum sibi præferat, et nemo quod suum est quærat, sed quod altérius; ut, cum in ómnibus abundáverit affectus benevoléntiæ, in nullo virus inveniátur invídiæ; quóniam qui se exáltat, humiliábitur, et qui se humíliat, exaltábitur, eódem ipso testánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Pss. de Dominica.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 12

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

Imménsa Christi cáritas
Majóra cogit ággredi
Apostolórum et Mártyrum
Auctam coróna vírginem.

Optans amóris víctima
Ex igne adúri mýstico,
Sponsum precátur últimas
Flammas vorántes éxcitet.

Æternitátis núntia
Optáta mors jam pérvenit :
Hæc íngemens : Te díligo !
Terésia ad Christum émigrat.

Cæléstibus nunc gáudiis
Fruens, ab arce síderum,
Quas lárgiter promíseras,
Rosas eménto spárgere.

Tu corde Rex mitíssime,
Qui párvulis regnum paras,
Nos hanc secútos íngredi
Præsta beáta límina.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam.
℟. Et Deus tuus in glóriam tuam.

Ad Bened. Ant. Réquiem tibi dabit * Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam ; et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quǽsumus ; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Ad Horas Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Vidébitis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Dóminus elégit te * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

Capit. Is. 66, 12

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

℟. br. Exsultábo et lætábor, Dómine, * In misericórdia tua. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. In misericórdia tua. Glória Patri. Exsultábo.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino. ℟. Et delectábitur super salutári suo.

AD SEXTAM

Ant. Eris córona glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

Capit. Is. 66, 13

Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini.

℟. br. Anima mea * Exsultábit in Dómino. Anima mea. ℣. Et delectábitur super salutári suo. Exsultábit. Glória Patri. Anima mea.

℣. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus. ℟. Psállite nómini ejus, quóniam suáve.

AD NONAM

Ant. Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 14

VIDÉBITIS, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt ; et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

℟. br. Laudáte Dóminum, * Quia bonus Dóminus. Laudáte. ℣. Psállite nómini ejus, quóniam suáve. Quia. Glória Patri. Laudáte.

℣. Dóminus facit mirabília magna solus. ℟. Quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Benedícta tu * a Deo tuo, quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israël.

Pss. ut in Communi Festorum beatæ Mariæ Virginis.

2 Dóminus elégit te, * ut sis ei : et fáciat te in laudem, et nomen, et glóriam suam.

3 Eris coróna glóriæ * in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui : quia complácuit Dómino in te.

4 Dóminus fáciet tecum * misericórdiam, et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

5 Erúmpet quasi mane * lumen tuum, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te.

Capit. Is. 66, 12

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Hymnus

LUCE divína rutilántis aulæ
Sédibus, virgo, frúeris, secúndans
Vota, promísso réfoves precántes
Imbre rosárum.

Sint rosæ nobis fídei supérnæ
Lumen affúlgens, columénque rebus
Spes in advérsis, et amóris almi
Vívida virtus.

Sint rosæ nobis tuus ille fidens
Candor infántis Dómino, patérno
Grata qui præbet vel acérba nostræ
Númine vitæ.

Scanné avec CamScanner

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Manus Dómini confortávit te. ℟. Et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Benedíctus Dóminus, * quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Oratio

Dómine, qui dixísti : Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum : da nobis, quǽsumus ; ita sanctæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna : Qui vivis.

Et fit Com. seq. : Ant. Similábo, ℣. Amávit, Oratio Deus, qui Ecclésiam, ut in Breviario.

DIE 5 OCTOBRIS

SANCTÆ AUREÆ VIRGINIS

Simplex

In II Vesp. S. Francisci Com. sequentis :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Fidéles tuos, quǽsumus, Dómine, intercedénte beáta Aurea, Vírgine tua, córpore et mente purífica : ut tua inspiratióne compúncti, nóxias delectatiónes vitáre præváleant, atque ne eárum capiántur illécebris, tua semper suavitáte pascántur. (Per Dóminum.)

Deinde Com. Ss. Placidi et Soc. Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi.

Scanné avec CamScanner

℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Plácidi et Sociórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Ex libro sancti Audoéni Epíscopi de Vita sancti Elígii

Lib. 1 cap. 17 et 18

Cœpit Elígius intra domum suam, quam Parísiis ex múnere regis percéperat, vírginum Christi ædificáre domicílium, in quo ópere diu multúmque instantíssime desúdans, dignum tandem sanctárum vírginum constrúxit ascetérium, ubi distríctam régulæ disciplínam constítuens, usque ad trecentárum númerum puellárum ex divérsis géntibus, tam ex ancíllis suis quam ex nobílibus Fránciæ matrónis congregávit : quibus et abbatíssam Deo dignam, puéllam nómine Auream, fíliam scílicet Mauríni et Quíriæ, constítuit. Terræ étiam réditus copiósos delegávit, atque ædificávit basílicam in honóre sancti Pauli Apóstoli ad ancillárum Dei córpora sepeliénda, cujus tecta sublímia opéruit plumbo cum elegántia.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Simíle est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio Fidéles, ut p. 30

Deinde fit Com. Ss. Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio Deus, qui nos concédis, ut supra.

Vesp. de S. Brunone sine ulla Com.

Scanné avec CamScanner

DIE 8 OCTOBRIS

In Festo sanctæ Birgittæ

VIGILIA
Ss. DIONYSII et SOC.

Fit Com. Vigiliæ per ix Lect. et Ant. ad Laud., cum ℣. et Orat. propria, ut infra.

Si Festum Ss. Dionysii et Soc. venerit Fer. II, Com. de Vigilia fit die 7 in Festo Sacrat. Rosarii per ix Lect. etc., ut supra, ante Com. S. Marci ac Ss. Sergii etc., ut in Brev.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Cap. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes prædicáte, dicéntes quia appropinquávit regnum cælórum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

De Civitate Dei, lib. 18, c. 49

Vocem nunc agnóscimus ejus impléri, qui loquebátur in Psalmo atque dicébat : Annuntiávi et locútus sum, multiplicáti sunt super númerum. Hoc fit nunc, ex quo primum per os præcursóris sui Joánnis, deínde per os próprium annuntiávit et locútus est, dicens : Agite pœniténtiam, appropinquávit enim regnum cælórum. Elégit discípulos, quos et Apóstolos nominávit, humíliter natos, inhonorátos, illitterátos ut quidquid magnum essent et fácerent, ipse in eis esset et fáceret. Semináto, quantum per ejus oportébat præséntiam corporálem, sancto Evangélio, passus est, resurréxit; passióne osténdens quid sustinére pro veritáte, resurrectióne quid speráre in æternitáte debeámus.

Te Deum laudámus.

Ant. Egréssi circuíbant per castélla, evangelizántes et curántes ubíque.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini.
℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus.

Oratio

Concéde nobis, quǽsumus, omnípotens Deus, ventúram beatórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii solemnitátem cóngruis præveníre honóribus, eamdémque digno pietátis afféctu celebráre. Per Dóminum.

DIE 9 OCTOBRIS

SANCTI DIONYSII Ep. et Mart.

PATRONI PRINCIPALIS ARCHIDIŒCESIS

et Ss. RUSTICI et ELEUTHERII Mart.

Duplex I classis cum Octava

IN I VESPERIS

Antiphona 1

MITTAM ex eis * qui salváti fúerint ad gentes, ait Dóminus, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Beátus Dionýsius * audívit vocem Dómini dicéntis: Quem mittam? et dixit: Ecce ego, mitte me.

3 Fide * obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem.

4 Surréxit, * et ábiit juxta verbum Dómini: et cœpit intráre in civitátem Parisiórum.

5 Incitabátur * spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem.

Capit. Hebr. 13, 17

MEMENTÓTE præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Lux de luce Deus, fons quoque lúminum,
Quo stat perpétuus cælítibus dies,
Tristem sub mísera nocte Lutétiam
Quanto lúmine récreas!

Huc de sede Petri férvidus ádvolat:
Aras, fana, deos fúnditus éruit,
Et Christum résonans dédocet ímpios
Dux verbi Dionýsius.

Addunt se cómites, et rúdibus pia
Commíttunt fídei sémina méntibus:
Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fóntibus índuit.

Crescit sancta fides, fit nova cívitas:
Hinc sævit rábies in ténerum gregem:
Inténtos óperi, nec tímidos mori,
Pastóres furor ímpetit.

Aptántur gládii, vérbera, cómpedes:

Illi supplícium delícias putant :
Subdunt se gládiis, tres simul óccidunt,
Tres cælo simul ádvolant.

Patri máxima laus, máxima Fílio ;
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se, rite litans fúnere spléndido,
Triplex cónsecrat hóstia. Amen.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus.
℟. Virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Salve, ínclyte Martyr, Angelórum consors, Apostolórum adjútor et Mártyrum cohéres ; sancte Dionýsi cum sóciis tuis, intercéde pro nostra omniúmque salúte.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus ; ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In die Octava :
Oratio

Prótegat nos, Dómine, sæpius beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii repetíta solémnitas : ut quorum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Deum, qui nos de ténebris per beátum Dionýsium vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus Lux de luce, ut supra 33

In I Nocturno

Ant. 1 Beátus Dionýsius * tradénte summo Præsule, verbi divíni sémina géntibus parturiénda suscépit.

In tribus Noct., Pss. de Comm. plur. Mm.

Ant. 2 Quo ámplius * gentilitátis insániam fervére cognóvit, illuc intrépidus accéssit, et Parísios Dómino ducénte pervénit.

Ant. 3 Non véritus * incrédulæ gentis experíri feritátem, quia virtútem suam præteritórum labórum recordatióne roborábat.

℣. Laudáte Dóminum, omnes gentes. ℟. Laudáte eum, omnes pópuli.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 17, 15-34

Qui autem deducébant Paulum, perduxérunt eum usque Athénas, et accépto mandáto ab eo ad Silam et Timótheum, ut quam celériter veníret ad illum, profécti sunt. Paulus autem cum Athénis eos exspectáret, incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem. Disputábat ígitur in synagóga cum Judǽis, et coléntibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui áderant. Quidam autem epicuréi et stóici philósophi disserébant cum eo, et quidam dicébant : Quid vult seminivérbius hic dícere? Alii vero : Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor esse ; quia Jesum et resurrectiónem annuntiábat eis. Et apprehénsum eum ad Areópagum duxérunt, dicéntes : Póssumus scire, quæ est hæc nova, quæ a te dícitur, doctrína? Nova enim quædam infers áuribus nostris ; vólumus ergo scire quidnam velint hæc esse. Atheniénses autem omnes, et ádvenæ hóspites, ad nihil áliud vacábant, nisi aut dícere, aut audíre áliquid novi.

℟. Dixit Dóminus illi : Lóquere, et ne táceas ; propter quod ego sum tecum ; * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vácuum ; sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur. Quóniam.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Stans autem Paulus in médio Areópagi, ait : Viri Atheniénses, per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, et videns simulácra vestra, invéni et aram in qua scriptum est : Ignóto Deo.

Scanné avec CamScanner

Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus qui fecit mundum, et ómnia quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur índigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratiónem, et ómnia ; fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, defíniens statúta témpora et términos habitatiónis eórum. Quærere Deum, si forte attréctent eum aut invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus, et movémur, et sumus, sicut et quidam vestrórum poetárum dixérunt : Ipsíus enim et genus sumus.

℟. Circumdántibus eum discípulis, surgens intrávit civitátem : * Cumque evangelizássent civitáti, et docuíssent multos, confirmábant ánimas discipulórum, exhortántes ut permanérent in fide. ℣. Adjuvábant eum fratres ejus, et diérecta est salus in manu ejus. Cumque.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

GENUS ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argénto, aut lápidi, sculptúræ artis et cogitatiónis hóminis, divínum esse símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quod státuit diem in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in viro in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audíssent autem resurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixérunt : Audiémus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de mánibus eórum. Quidam vero viri, adhæréntes ei, credidérunt.

℟. Cum sumpsísset cor ejus audáciam propter vias Dómini, étiam excélsa et lucos ábstulit, * Misit de suis ut docérent in civitátibus. ℣. Disseminabátur autem verbum Dómini per univérsam regiónem. Misit. Glória Patri. Misit.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Ant. 4 Plebem Deo * sanctificávit ; offícia serviéntium clericórum ex more constítuit, probatósque viros honóre sacerdótii ditávit.

Ant. 5 Fídei et caritátis * vínculis ánimas ad Christum pertrahébat.

Ant. 6 Tantas per illum * Dóminus dignabátur exercére virtútes, ut rebéllium corda non minus miráculis quam prædicatiónibus obtinéret.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Facti sumus lætántes.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Dionýsius epíscopus, qui a Petri apóstoli successóribus verbi divíni sémina erogánda suscéperat, Parísios Dómino ducénte pervénit, ibíque cinctus fide Deum géntibus non desinébat insinuáre quem nóverat, ejúsque ómnibus et judícium et misericórdiam antepónens, paulátim sociábat Dómino, quos diábolo subtrahébat. Tantas étiam per illum Dóminus dignabátur exercére virtútes, ut rebéllium corda gentílium non minus miráculis quam prædicatióne obtinéret, qui jugum Christi suáve impóni sibi, acti compunctióne, poscébant. Ab ipsis quoque destruebántur idóla quorum sumptu fúerant et stúdio fabricáta, et invénto salútis portu, idolórum gaudébant períre naufrágia. Lugébat pórtio victa diáboli, cum de ea victrix ecclésiæ légio triumpháret.

℟. Scitis quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, * Qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. ℣. Oculi vestri vidérunt ómnia ópera Dómini magna quæ fecit, ut custodiátis univérsa mandáta illíus. Qui vocávit vos.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Tunc hostis antíquus, videns sibi períre quod Dómino constábat assídua populórum conversióne profícere,

totam artifícii sui máchinam ad impugnánda quæ fúerant constrúcta convértit. Persecutiónis ígitur publicáta senténtia impiórum gaudens turba progréditur et contra domínicum pópulum pugnatúra conspírat. Itaque sanctum Dionýsium contra incrédulos dimicántem Parísiis reperérunt, quocum simul Rústicum et Eleuthérium persecutiónis furor invénit. Hi sancti viri a beáti Dionýsii numquam sustinuérunt abésse præséntia. Interrogáti unum et verum in Trinitáte Deum confiténtur, visóque percutiéntis ictu, Dómini ac Dei nostri se fámulos magna confessiónis voce pronúntiant. In hac ergo fídei pertinácia permanéntes, reddéntes terræ córpora, beátas cælo ánimas intulérunt.

℟. Cum apud vos essémus, prædicebámus vobis passúros nos tribulatiónes, sicut et factum est et scitis : * Ideo consoláti sumus in omni necessitáte et tribulatióne nostra per fidem vestram. ℣. Vos scitis quanta ego et fratres mei fécimus, et angústias quales vídimus. Ideo.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Depósiti sunt ante diem séptimum idus octóbres, juxta stratam Rotómagum deducéntem, sexto ab urbe lápide, in vico tunc Catúllaco, deínde a sancto Dionýsio mutuáto vocábulo nuncupátum. Locum sanctórum mártyrum ossa servántem plebs fidélis, cum primum persecutiónis vidit tepuísse fervórem, eminéntis mausoléi constructióne signávit. Ubi póstmodum, Genésio presbýtero duce, ac beáta, non sine miráculis, juvánte Genovéfa, Parisiénses ecclésiam magno sumptu cultúque exímio construxérunt. Ad mártyrum límina concurrénte frequéntia peregrinórum, mox domni Dionýsii basílica habéri cœpit inter loca sanctórum Gálliæ clarióra. Ubi operánte Dómino Nostro Jesu Christo súpplices experiúntur infírmi quantum Dei fámulos convéniat honorári, de quorum passióne Dóminus gaudére nos vóluit,

Scanné avec CamScanner

cui est honor et glória, virtus et impérium et fortitúdo in sǽcula sæculórum. Amen.

℟. Adest beáti Dionýsii sacratíssima dies, in qua triúmphans agónem explévit, * Et corónam victóriæ accípere méruit de manu Dómini. ℣. Quem Dóminus sic honorávit, ut omnem Gálliam ejus apostolátu insigníret, quam sánguine suo consecrávit. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Dionýsio inérmi * Christum annuntiánti, non valébat plebs armáta resístere.

Ant. 8 Dum sacrum mystérium * beátus Dionýsius celebráret in cárcere, appáruit ei cum multitúdine Angelórum Jesus Christus.

Ant. 9 Donans illi * sacra mystéria sui córporis et sánguinis, Mártyrem suum roborávit, dicens : Accipe, dilécte mi, quod mox complébo una cum Patre meo.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 233 n. 1, 2, 4, 5

Audístis quid díxerit Dóminus discípulis suis post resurrectiónem. Misit eos ad Evangélium prædicándum, et factum est : prædicátum est Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce : In omnem terram éxiit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo et ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, et ad fines terræ. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus. Ait enim : Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit. Christus est fons vitæ : fons vitæ venit ad nos,

Scanné avec CamScanner

et fons vitæ mórtuus est propter nos. Negábit vitam suam, qui nobis erogávit mortem suam? Ipsa est salus, quæ non est vana. Quare? Quia non transit.

℟. Vir ínclytus Dionýsius, succénsus igne divíni amóris, constánter sustínuit supplícia passiónis, * Et per immanitátem tormentórum pervénit ad societátem Angelórum. ℣. Illíus intercéssio nobis obtíneat véniam, qui per torménta passiónis sempitérnam méruit corónam. Et.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Salvátor venit: mórtuus est, sed mortem occídit; finívit in se quam timebámus; suscépit illam, et occídit illam. Ubi est mors? Quære in Christo, jam non est; sed fuit, et mórtua est ibi. O vita, mors mortis! Bono ánimo estóte; moriétur et in nobis. Quod præcéssit in cápite reddétur in membris; moriétur et in nobis mors. Sed quando? In fine sǽculi, in resurrectióne mortuórum quam crédimus: Qui enim credíderit, et baptizátus fúerit, ipse salvus erit. Séquere quod tímeas: Qui autem non credíderit, condemnábitur. Ergo mors moriétur in nobis, victúra est in damnátis. Ubi mors nésciet mortem, sempitérna mors erit; quia ætérna torménta erunt. In nobis moriétur, et non erit. Vultis nosse? Dico vobis pauca verba triumphántium, ut habeátis quod meditémini, quod corde cantétis, quod toto ánimo sperétis, quod fide et bono ópere requirátis.

℟. Beáti Dionýsius, Rústicus et Eleuthérius in fídei constántia permanéntes, * Reddidérunt terræ córpora, et ad cæléstia regna glorióse migrárunt. ℣. Beatórum ánimæ sanctórum, relíctis terris, secútæ sunt Redemptórem. Reddidérunt. Glória Patri. Reddidérunt.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Audíte verba triumphántium, quando non erit mors. Paulus Apóstolus dicit: Opórtet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem.

et mortále hoc indúere immortalitátem. Tunc fiet sermo qui scriptus est : Absórpta est mors in victória. Ista est mors mortis : absorbébitur, ut non appáreat. Gáudeant triumphántes, gáudeant ; dicant quod séquitur : Ubi est, mors, victória tua ? ubi est, mors, acúleus tuus ? ubi est ? Nonne confrégit illum Dóminus meus ? O mors ! quando Dómino meo hæsísti, tunc et mihi periísti. Ista salúte salvus erit qui credíderit, et baptizátus fúerit ; qui autem non credíderit condemnábitur. Fúgite condemnatiónem, amáte et speráte salútem ætérnam.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Adduxérunt Dionýsium * cum sóciis suis ad tribúnal júdicis, dicéntes : Quia contra legem hic persuádet homínibus cólere Deum.

Pss. de Dominica.

2 Hi sancti viri * interrogáti, multísque afférti injúriis, conféssi sunt unum et verum in Trinitáte Dóminum.

3 In hac fídei confessióne * perseverántes, depósitis córporum induméntis, æternáles cælórum portas líberi penetrárunt.

4 Beáta nímium * et Deo nostro grata sociétas, in qua Trinitátem trino conféssi sunt martýrio.

5 Et facta est * comes multitúdo cæléstis exércitus laudans Deum, et dicens : Glória tibi, Dómine.

Capit. Hebr. 13, 17

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Ad sanctos cíneres cúrrite, cívitas :
Sunt hæc plena Deo pignora Mártyrum.
Hic cunæ fídei : fúneris in sinu
Vitam plénius háusimus.
Hic, dum justa parant prælia príncipes,
Flexis poplítibus, præsidium petunt :
Vestros ante pedes régia súpplices
Depónunt diadémata.

Quos sensére bonos rebus in árduis
Vivéntes, étiam post sua fúnera
Jungi Martýribus, dum véniat dies
Terris últimus, ámbiunt.

Hic quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt :
Cæcis et sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.

Patri máxima laus, máxima Fílio :
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se, rite litans fúnere spléndido,
Triplex cónsecrat hóstia. Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Adest * beáti Dionýsii sacratíssima dies, in qua triúmphans, agónem explévit et corónam victóriæ cum minístris méruit accípere de manu Dómini.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quǽsumus; ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In die Octava :

Oratio

Prótegat nos, Dómine, sǽpius beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii repetíta solémnitas : ut quorum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus. Per Dñm.

Et fit Com. S. Joannis Leonardi Conf. :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es,

ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti : da nobis fámulis tuis ; ita ejus institútis profícere, ut præmia consequámur ætérna. Per.

Ad Horas Psalmi de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Adduxérunt Dionýsium * cum sóciis suis ad tribúnal júdicis, dicéntes : Quia contra legem hic persuádet homínibus cólere Deum.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Et si áliis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Hi sancti viri * interrogáti, multísque afflécti injúriis, conféssi sunt unum et verum in Trinitáte Dóminum.

Capit. Hebr. 13, 17

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

℟. br. Dóminus dabit verbum * Evangelizántibus. Dóminus. ℣. Virtúte multa. Evangelizántibus. Glória Patri. Dóminus.

℣. Laudáte Dóminum, omnes gentes. ℟. Laudáte eum, omnes pópuli.

AD SEXTAM

Ant. In hac fídei confessióne * perseverántes, depósitis córporum induméntis, æternáles cælórum portas líberi penetrárunt.

Capit. 1 Thess. 1, 5

Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed in virtúte, et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa.

℟. br. Laudáte Dóminum,* Omnes gentes. Laudáte Dóminum. ℣. Laudáte eum, omnes pópuli. Omnes gentes. Glória Patri. Laudáte Dóminum.

℣. Speráte in Deo, omnis congregátio pópuli. ℟. Deus adjútor noster in ætérnum.

AD NONAM

Ant. Et facta est * cómes multitúdo cæléstis exércitus laudans Deum, et dicens : Glória tibi, Dómine.

Capit. 1 Cor. 9, 2

Et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum ; nam signáculum apostolátus mei vos estis in Dómino.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Speráte in Deo, * Omnis congregátio pópuli. Speráte. ℣. Deus adjútor noster in ætérnum. Omnis. Glória Patri. Speráte.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum. ℟. Et facti sumus lætántes.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Mittam ex eis * qui salváti fúerint ad gentes, ait Dóminus, ad eos qui non audíerunt de me, et non vidérunt glóriam meam.

Pss. de Dominica, sed loco ultimi, Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Beátus Dionýsius * audívit vocem Dómini dicéntis : Quem mittam? et dixit : Ecce ego, mitte me.

3 Fide * obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem.

4 Surréxit, * et ábiit juxta verbum Dómini : et cœpit intráre in civitátem Parisiórum.

5 Incitabátur * spíritus ejus in ipso, videns idololátriæ dedítam civitátem.

Capit. Hebr. 13, 17

Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Lux de luce Deus, fons quoque lúminum,
Quo stat perpétuus cælítibus dies,
Tristem sub mísera nocte Lutétiam
Quanto lúmine récreas!

Huc de sede Petri férvidus ádvolat :
Aras, fana, deos fúnditus éruit,
Et Christum résonans dédocet ímpios
Dux verbi Dionýsius.

Addunt se cómites, et rúdibus pia
Commíttunt fídei sémina méntibus :
Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fóntibus índuit.

Crescit sancta fides, fit nova cívitas :
Hinc sævit rábies in ténerum gregem :
Inténtos óperi, nec tímidos mori,
Pastóres furor ímpetit.

Aptántur gládii, vérbera, cómpedes :
Illi supplícium delícias putant :
Subdunt se gládiis, tres simul óccidunt,
Tres cælo simul ádvolant.

Patri máxima laus, máxima Fílio :
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se, rite litans fúnere spléndido,
Triplex cónsecrat hóstia. Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Ad Magnif. Ant. Hódie * Dionýsius antístes pro Christi nómine martýrio coronátus est, allelúja. O beáta ánima! Jam in ætérnum cum sóciis póssidet Deum, quem supérnæ grátiæ lúmine agnóvit, et contra spem, in spem, ut multæ fíeret pater gentis prædicávit ac tota mente diléxit, allelúja.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis, quæsumus; ex eórum imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In die Octava :

Oratio

Prótegat nos, Dómine, sæpius beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii repetíta solémnitas : ut quorum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Francisci Borgiæ :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et præmium

quǽsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes : Qui vivis et regnas.

DIE 10 OCTOBRIS

In Festo sancti Francisci Borgiæ

OCTAVÆ SS. DIONYSII ET SOC.

MARTYRUM

COMMEMORATIO

Ad Laudes ut in Festo 42

DIE 12 OCTOBRIS

COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM EPISCOPORUM

PATRONORUM ALIORUMQUE SANCTORUM DIŒC. PARISIENSIS

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 115 Confísus sum, ut infra.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Psalmus 115

Confísus sum, étiam cum dixi : * « Ego afflíctus sum valde »;

Ego dixi in pavóre meo : * « Omnis homo fallax ! »

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ tríbuit mihi ?

Cálicem salútis accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus.

Pretiósa est in óculis Dómini * mors sanctórum ejus.

O Dómine, ego servus tuus sum, ego servus tuus, fílius ancíllæ tuæ : * solvísti víncula mea.

Scanné avec CamScanner

Tibi sacrificábo sacrifícium laudis, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus,

In átriis domus Dómini, * in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Tob. 2

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

Hymnus

Cælo quos éadem glória cónsecrat,
Terris vos éadem concélebrat dies :
Læti vestra simul prǽmia pángimus
Duris parta labóribus.
Jam vos pascit amor núdaque Véritas,
De pleno bíbitis gáudia flúmine ;
Illic perpétuam mens sátiat sitim
Sacris ébria fóntibus.
Excélsis hábitans in penetrálibus
Se Rex ipse suo contúitu beat ;
Illabénsque, sui pródigus, íntimis
Sese méntibus ínserit.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio :
Sit par, sancte, tibi, laus quoque, Spíritus ;
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus. Amen.

℣. Exáltent eos in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Ant. Sit memória illórum * in benedictióne, et nomen eórum permáneat in ætérnum.

Oratio

Tríbue, quǽsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia júgiter oráre pro nobis, eósque semper audíri : ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

Scanné avec CamScanner

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis ; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui glorificátur in Sanctis tuis, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Hymnis dum résonat cúria cælitum,
Hic flemus pátriis fínibus éxsules :
Hic suspénsa tenémus
Mutis cántibus órgana.

Quando mens mísero líbera cárcere
Se vestris sóciam cœtibus ínseret,
Et, calígine pulsa,
Cæli lucem habitábimus :

Obscúræ fúgient mentis imágines,
Cum stantes própius lúminis ad jubar,
Nos verum sine nube
Ipso in fonte vidébimus.

A quo cuncta fluunt máxima laus Patri :
Qui mundum réparat, máxima Fílio :
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Flámini.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Laudémus viros gloriósos, * et paréntes nostros in generatióne sua.

In tribus Nocturnis Pss. de Communi Conf. Pont.

Ant. 2 Elégit ipsos * Dóminus offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

Ant. 3 Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes ; tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

℣. Lætámini in Dómino, * et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos

Lectio i Cap. 12, 1-4

Tantam habéntes impósitam nubem téstium, deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen : aspiciéntes in auctórem fídei, et consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes.

℟. Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros : * Dívites in virtúte glóriam adépti sunt. ℣. Dedúxit illos Dóminus in viam rectam, ut irent in civitátem habitatiónis. Dívites.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 12, 12-15

Propter quod, remíssas manus et solúta génua erígite, et gressus rectos fácite pédibus vestris, ut non cláudicans quis erret, magis autem sanétur. Pacem sequímini cum ómnibus, et sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum : contemplántes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, et per illam inquinéntur multi.

℟. Mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis : * O fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum. ℣. Mémores estóte quáliter patres nostri tentáti sunt, ut probaréntur si vere cólerent Deum. O fílii.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 12, 22-25

Sed accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et multórum míllium Angelórum frequéntiam, et ecclésiam primitivórum qui conscrípti sunt in cælis,

Scanné avec CamScanner

et júdicem ómnium Deum, et spíritus justórum perfectórum, et testaménti novi mediatórem Jesum, et sánguinis aspersiónem mélius loquéntem quam Abel. Vidéte ne recusétis loquéntem. Si enim illi non effugérunt, recusántes eum qui super terram loquebátur, multo magis nos, qui de cælis loquéntem nobis avértimus.

℟. Odiéntes malum, caritáte ínvicem diligéntes, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, patiéntes, oratióni instántes, humílibus consentiéntes, * Providébant bona non tantum coram Deo, sed étiam coram homínibus. ℣. Sollicitúdine non pigri, nulli malum pro malo reddéntes. Providébant. Glória Patri. Providébant.

In II Nocturno

Ant. 4 Ipsi scitis, * fratres, intróitum nostrum ad vos : facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos.

Ant. 5 Mémores estis * labóris nostri et fatigatiónis. Nocte ac die operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Ant. 6 Deprecántes vos, * testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ecclésia Parisiénsis omnes sanctos a quibus vel fídei inítium vel religiónis augméntum accepísse se cognóscit, hodiérna solemnitáte compléctitur. Gloriósum ducit agmen beátus Dionýsius, vir apostólicus, cui cóntigit gregem fidélium, a se verbo Evangélii génitum, sánguine effúso purpuráre. Hinc, quasi ex agro fértili, Mártyrum seges efflóruit, ex quibus sancti Agoárdus, Aglibértus, Eugénius, Lucánus, Justínus, Iónius hic illic celebrántur. Christi prædium tantis acquisítum labóribus, multi Pontífices, sanctitáte æque ac doctrína spectábiles,

assíduo labóre excoluérunt : præcípue sancti Germánus, Marcéllus, Landerícus et Ceránnus, per quos, novis in dies auctum increméntis, majóres étiam fructus tulit.

℟. Ergo jam non estis hóspites et ádvenæ, * Sed estis cives sanctórum et doméstici Dei. ℣. Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Sed.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

INSUPER, Ecclésiæ nostræ miséricors Deus viros juxta cor suum veritátis defensóres, doctrínæ propagatóres, disciplínæ instauratóres, provídit pro témporum opportunitáte. Sanctus Ludovícus, Gálliæ rex, pietáte, justítia, liberalitáte, máximis pro Terra sancta labóribus, ac morte tandem pretiosíssima commendátus ; sanctus Joánnes de Matha, qui paulo ante, ad rediméndos captívos in prima divíni sacrifícii oblatióne, Parísiis recens sacérdos, cælitus vocabátur, órdinis institútor sanctíssimæ Trinitátis ; sanctus Thomas, Doctor Angélicus et sanctus Bonaventúra Doctor Seráphicus, qui tamquam duo præstantíssima christiánæ doctrínæ luminária cunctas illustrárunt Ecclésias, et in schola Parisína, dudum celebérrima, sacris lítteris primum ediscéndis, dein edocéndis incubuérunt. Hanc étiam ingénti splendóre iísdem tempóribus decorávit assíduus lectiónum audítor Theobáldus, Ludovíco nono carus, factus póstea sanctus Gregórius papa décimus. Nec minor nostræ civitáti decor accédit quod Franciscus Xavérius, qui Parísiis magna cum laude docéret, ad laudis humánæ contémptum et cæléstium amórem ab Ignátio de Loyóla raptus fúerit ; quod demum sǽculo subsequénti, in summis viris Francísco Salésio et Vincéntio a Paulo, tam exímia caritátis et pietátis ópera mirans suspéxerit : quorum alter tot hæréticos vitæ simul et sermónum suavitáte ab erróribus revocávit ;

Scanné avec CamScanner

alter totam fere vitam in páuperes sublevándo consúmpsit, et indeféssam in ecclesiástica disciplína reficiénda, missiónibus institútis, atque præsértim seminnáriis fundátis, óperam præstitit.

℟. Benefáciat vobis Deus, memínerit testaménti sui, et det vobis cor ómnibus ut colátis eum ; * Et nunc hic sumus orántes pro vobis. ℣. Omnis namque Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in íis quæ sunt ad Deum. Et nunc.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

His addi debent innumerábiles álii sancti, ex omni vitæ génere, exémplum, tutámen, honorificéntia pópuli nostri. Sanctæ Vírgines Alda, Celínia, Aurea, ac præsértim Genovéfa, quæ Parísios vivens ab Attila tutávit, post mortem vero multóties a váriis flagéllis patróna potens liberávit ; sancta regína Clotíldis, quæ virum suum infidélem fidélis sanctificávit ; sancta Bathíldis, quæ régias inter delícias crucem uníce diléxit; sancta Joánna Valésia, quæ, mundo abdicáto, novum sacrárum vírginum cœtum instítuit ; beáta María ab Incarnatióne, quæ sanctæ Terésiæ institútum a se Parísios addúctum tanto fervóre ampléxa est ; sancti Clodoáldus, Droctovéus, Medéricus, Severínus, Domnólus, qui monásticam aut eremíticam vitam mirabíliter exercuérunt ; sancti Elígius, Audoénus, Sulpítius, Guliélmus, præclári antístites, forma facti gregis ex ánimo ; álii tandem innúmeri, quorum nómina Deus solus novit, qui, et suam et aliórum salútem in abscóndito operáti, nunc Angelis in cælo sociántur. Tot ígitur et tantórum sanctórum humíliter sperámus divínam tutélam pátriæ numquam defectúram : Deus summe miséricors, doméstícis intercessiónibus et suffrágio placátus, scéléribus quibus sæpe pollúta et fœdáta cívitas gémuit,

Scanné avec CamScanner

véniam concédet, et gregem vítiis purgátum bonitátis luce íterum recreábit.

℟. Ideóque et nos tantam habéntes impósitam nubem téstium et deponéntes omne pondus, * Currámus ad propósitum nobis certámen. ℣. Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo. Currámus. Glória Patri. Currámus.

In III Nocturno

Ant. 7 Nunc ergo, * o fílii, æmulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum.

Ant. 8 Mementóte * præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Ant. 9 Mementóte * óperum patrum, et accipiétis glóriam magnam, et nomen ætérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus : et apériens os suum, docébat eos, dicens : Beáti páuperes spíritu. Et réliqua.

Homilía sancti Euchérii Epíscopi

Homil. 12 de Ss. Mm.

Magnum quidem est públicis atque commúnibus dare vota solemnitátibus, sed excelléntior quædam festívitas judicánda est alúmnis exsultáre virtútibus. Et ídeo indigenárum sanctórum cultus et honor speciálium patronórum, sicut peculiáre dat gáudium, ita próprium requírit affféctum. Etenim, si peregrínas palmas extraneásque corónas ac transmarínos triúmphos tanta nos opórtet sedulitáte venerári,

Scanné avec CamScanner

ut quod aliénum est locis nostrum faciámus offíciis, quanto nos impénsius cónvenit in eórum celebritáte fervére stúdio, excubáre famulátu, quibus multíplicem debet relígio devotiónem, Ecclésia honórem, pátria caritátem! Ut sicut eórum jure nascéndi cognáti sumus, ita nobis erga eos pietátis et grátiæ privilégium vindicémus, atque ad eos fídei devotióne prius accedámus, ut quorum esse cives gratulámur in terris, cum his mancipátum habére mereámur in cælis.

℟. Fratres, sicut accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti et superædificáti in ipso et * Confirmáti in fide, sicut et didicístis. ℣. Mementóte præpositórum vestrórum, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Confirmáti.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Quæ cum ita sint, caríssimi, ad tenéndam fidem, ad excoléndam religiónem, non nobis áliqua de longínquo sunt exspectánda documénta; patérnis instrúimur magistériis, ac doméstícis admonémur exémplis. Díscite, ínquiunt, ex nobis fidem quæréndo acquírere, vivéndo excólere, moriéndo serváre : díscite plus peccátum timére quam gládium : díscite propter vitam magis justítiam amáre quam vitam, fidémque et timórem Dei.

℟. Fecísti, Dómine, patres eléctos, et sanctificásti eos; * Custódi partem tuam, et sanctífica. ℣. Exáudi oratiónem servórum tuórum, et dírige nos in viam justítiæ. Custódi. Glória Patri. Custódi.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Cavéte ne ánchoram spei et religiónis, quam nos custodívimus in fluctu, vos amittátis in portu. Cavéte ne vitam bonam, si quando afflictiónibus súbditam vidéritis, míseram judicétis. Cavéte ne in aréna mundi, in qua ad subeúndos agónes missi sumus, áliquam felicitátem exspectándam putétis.

Non hic quæras quod hic nullus sanctórum consummátus labóre, nullus conféssor, nec Christus invénit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES ET PER HORAS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dominica.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Tob. 2

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

Hymnus

Jesu, Redémptor ómnium,
Vitæ beátæ prǽmium,
Vultu pio nos áspice,
Tua Parénte súpplice.

O purpuráti Mártyres,
Jam laureáti mílites,
Christi redémptos sánguine
Juváte Christi nómine.

O quos beat conféssio,
Votíva quos proféssio,
Et quos erémus prótulit,
Nos vestra salvet cáritas.

Vos, castitátis gérmina,
Fœcúnda cælis ágmina,
Carnis solútos néxibus
Locáte sanctis sédibus.

Arcéte gentes ímpias,
Oves vocáte dévias.
Sit pastor unus ómnium,
Unúsque grex fidélium.

Præsta, beáta Trínitas,
Nos sanctitátis sémitas,
Pulsis salútis hóstibus,
Tutis tenére gréssibus.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis * lux mundi supra montem pósita; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Tríbue, quǽsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia júgiter oráre pro nobis, eósque semper audíri : ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Obedíte, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

Capit. Tob. 2

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exsultáte, justi. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Ant. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

Capit. 1 Thess. 4

Fratres : Rogámus vos et obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis a nobis quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis.

℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Ant. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Hebr. 13

Obedíte præpósitis vestris et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória Patri. Justi autem.

℣. Exsultábunt justi in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 136 Ad flúmina, ut infra.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo nostro.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Psalmus 136

Ad flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus, * cum recordarémur Sion.

In salícibus terræ illíus * suspéndimus cítharas nostras.

Nam illic, qui abdúxerant nos, rogavérunt a nobis cántica, et qui affligébant nos, lætítiam : * « Cantáte nobis ex cánticis Sion ! » —

Quómodo cantábimus cánticum Dómini *in terra aliéna ?

Si oblítus ero tui, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea !

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non meminero tui,

Si non posúero Jerúsalem * super omnem lætítiam meam. —

Recordáre, Dómine, contra fílios Edom * diem Jerúsalem,

Qui dixérunt : « Evértite, evértite * ipsa fundaménta in ea ! »

Fília Babylónis vastátrix, * beátus qui repéndet tibi mala quæ intulísti nobis !

Beátus qui apprehéndet et allídet * párvulos tuos ad petram !

Scanné avec CamScanner

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Tob. 2

Fílii sanctórum sumus, et vitam illam exspectámus quam Deus datúrus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo.

Hymnus

Altári médio, cui Deus ínsidet,
Agni fumat adhuc innócuus cruor :
Quæ mactáta Patri se semel óbtulit,
Se perpes litat hóstia.

Pronis turba senum cérnua fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lúminis,
Regnánti Dómino dévovet áurea
Quæ ponit diadémata.

Gentes innúmeræ, conspícuæ stolas
Agni purpúreo sánguine cándidas,
Palmis læta cohors, cántibus æmulis
Tersanctum célebrant Deum.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio :
Sit par, sancte, tibi, laus quoque, Spíritus ;
Qui das pro méritis, óptimus árbiter,
Te totum simul ómnibus. Amen.

℣. In cæléstibus regnis sanctórum habitátio est.
℟. Et in ætérnum réquies eórum.

Ad Magnif. Ant. Amávit eos Dóminus * et ornávit eos ; stolam glóriæ índuit eos, et ad portas paradísi coronávit eos.

Oratio

Tríbue, quæsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia júgiter oráre pro nobis, eósque semper audíri : ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, fidem imitémur. Per Dóminum.

Deinde fit Com. seq. S. Eduardi Regis Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum regem Eduárdum, Confessórem tuum, æternitátis glória coronásti : fac nos, quæsumus ; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

DIE 13 OCTOBRIS

In Festo S. Eduardi

OCTAVÆ SS. DIONYSII ET SOC.

MARTYRUM

COMMEMORATIO

Ad Laud. et in Vesp. ut in Festo.

DIE 14 OCTOBRIS

In Festo sancti Callisti

OCTAVÆ SS. DIONYSII ET SOC.

COMMEMORATIO

Ad Laud. et in Vesp. ut in Festo.

DIE 15 OCTOBRIS

In Festo sanctæ Teresiæ

OCTAVÆ SS. DIONYSII ET SOC.

COMMEMORATIO

Ad Laud. ut in Festo. Vesp. de Oct. Ss. Dionysii et Soc. Mm., cum Com. S. Teresiæ Virg. et S. Hedwigis Vid. ut infra.

DIE 16 OCTOBRIS

IN OCTAVA SS. DIONYSII ET SOC.

MARTYRUM

Duplex majus

In I Vesp. Ant. et Pss. de Feria, Capit. et Hymnus ut in I Vesp. Festi 33

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus. ℟. Virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Salve, ínclyte Martyr, Angelórum consors, Apostolórum adjútor et Mártyrum cohéres; sancte Dionýsi cum sóciis tuis, intercéde pro nostra omniúmque salúte.

Oratio

Prótegat nos, Dómine, sæpius beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii repetíta solémnitas : ut quorum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus. Per.

Et fit Com. S. Teresiæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Terésiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Scanné avec CamScanner

Deinde Com. S. Hedwigis Viduæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Per.

In I Noct. Lect. de Script. occurr. cum suis ℟℟.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Mártyres et Confessóres

Ep. 10 n. 2, 3, 5

Lectio iv

Quibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres? Robur péctoris vestri et perseverántiam fídei quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem, nec cessístis supplíciis sed vobis pótius supplícia cessérunt. Finem dolóribus, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Quǽstio grávior ad hoc diu perseverávit; non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velócius mítteret. Vidit admírans præséntium multitúdo, cæléste certámen Dei et spiritále prǽlium Christi, stetísse servos ejus voce líbera, mente incorrúpta, virtúte divína, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fídei credéntes armátos.

℟. Scitis quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, * Qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. ℣. Oculi vestri vidérunt ómnia ópera Dómini magna quæ fecit, ut custodiátis univérsa mandáta illíus. Qui.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

STETÉRUNT torti torquéntibus fortióres; pulsántes ac laniántes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviens diu plaga repetíta, quamvis, rupta compáge víscerum, torqueréntur in servis Dei jam non membra, sed vúlnera. Fluébat sanguis qui incéndium persecutiónis exstíngueret, qui flammas et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret. Pretiósa mors hæc est, quæ emit immortalitátem prétio sui sánguinis, quæ accépit corónam de consummatióne virtútis. Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in tálibus servis suis et pugnávit et vicit! Certámini suo áffuit, prœliatóres atque assertóres sui nóminis eréxit, corrororávit, animávit. O beátam Ecclésiam nostram, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam tempóribus nostris gloriósus Mártyrum sanguis illústrat!

℟. Cum apud vos essémus, prædicebámus vobis passúros nos tribulatiónes, sicut et factum est et scitis: * Ideo consoláti sumus in omni necessitáte et tribulatióne nostra per fidem vestram. ℣. Vos scitis quanta ego et fratres mei fécimus, et angústias quales vídimus. Ideo.

Bened. Ignem.

Lectio vi Ep. 37 n. 4

NUNC est, fratres beatíssimi, ut mémores mei sitis, ut inter magnas atque divínas cogitatiónes vestras, nos quoque ánimo ac mente volvátis, simque in précibus et oratiónibus vestris; cum vox illa purificatióne confessiónis illústris, et jugi honóris sui tenóre laudábilis, ad Dei aures pénetrat et, apérto sibi cælo, de his subácti mundi pártibus ad supérna transmíssa, ímpetrat de Dómini bonitáte quod póstulat. Quid enim pétitis de indulgéntia Dómini quod non impetráre mereámini, qui sic Dómini mandáta servástis, qui evangélicam disciplínam sincéro fídei vigóre tenuístis,

Scanné avec CamScanner

qui incorrúpto honóre virtútis cum præcéptis Dómini, et cum Apóstolis ejus, fórtiter stantes, nutántem multórum fidem martýrii vestri veritáte solidástis? Vere Evangélii testes, et vere mártyres Christi radícibus ejus innísi, super petram robústa mole fundáti, disciplínam cum virtúte junxístis, ad timórem Dei céteros provocástis; martýria vestra exémpla fecístis.

℟. Adest beáti Dionýsii sacratíssima dies, in qua triúmphans agónem explévit, * Et corónam victóriæ accípere méruit de manu Dómini. ℣. Quem Dóminus sic honorávit, ut omnem Gálliam ejus apostolátu insigníret, quam sánguine suo consecrávit. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

In Evang. 29 n. 2

Potest, omnis creatúræ nómine, omnis nátio Géntium designári. Ante étenim dictum fúerat : In viam Géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ; ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio, tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. Neque enim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent.

℟. Vir ínclytus Dionýsius, succénsus igne divíni amóris, constánter sustínuit supplícia passiónis, * Et per immanitátem tormentórum pervénit ad societátem Angelórum.

Scanné avec CamScanner

℣. Illíus intercéssio nobis obtíneat véniam, qui per torménta passiónis sempitérnam méruit corónam. Et.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Quod cum ita sit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus, si quod verbis promíttimus opéribus implémus. In die quippe baptísmatis, ómnibus nos antíqui hostis opéribus atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrum ad consideratiónem suam mentis óculos redúcat; et si servat post baptísmum quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

℟. Beáti Dionýsius, Rústicus et Eleuthérius in fídei constántia permanéntes, * Reddidérunt terræ córpora, et ad cæléstia regna glorióse migrárunt. ℣. Beatórum ánimæ sanctórum, relíctis terris, secútæ sunt Redemptórem. Reddidérunt. Glória Patri. Reddidérunt.

Pro S. Hedwige Vid.:

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Hedwígis, régiis clara natálibus, sanctæ Elísabeth, fíliæ regis Hungáriæ, matértera, duodénnis Henríco Polóniæ duci núptui trádita, prolem inde suscéptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódius Deo vacáret, ex pari voto et consénsu unánimi, ad separatiónem thori virum indúxit. Quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi Cisterciénsem sumpsit hábitum; in eóque, contemplatióni inténta,

divínis Offíciis et Missárum solémniis assídua assístere in delíciis hábuit. Sublimióribus florens virtútibus, arctíssima pœniténtia, consiliórum gravitáte animíque candóre, in exímium religiósæ pietátis evásit exémplum. Omnibus se ultro subjícere atque vilióra múnia subíre, paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere et osculári, ipsi familiáre erat. Mira ejus patiéntia, animíque constántia, præcípue in morte Henríci, ducis Silésiæ, sui fílii, in bello a Tártaris cæsi, enítuit. Miraculórum glória, præcípue post óbitum, claram, Clemens quartus Sanctórum número eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ant. Adest * beáti Dionýsii sacratíssima dies, in qua triúmphans, agónem explévit et corónam victóriæ cum minístris méruit accípere de manu Dómini.

Oratio

Prótegat nos, Dómine, sæpius beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii repetíta solémnitas : ut quórum patrocínia sine intermissióne recólimus, perpétuam defensiónem sentiámus. Per Dóminum.

Fit Com. S. Hedwigis :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

Ant. et Psalmi de Fer., Capit. et Hymnus ut in II Vesp. Festi 44

Scanné avec CamScanner

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Ad Magnif. Ant. Hódie Dionýsius antístes pro Christi nómine martýrio coronátus est, allelúja. O beáta ánima! Jam in ætérnum cum sóciis póssidet Deum, quem, supérnæ grátiæ lúmine agnóvit, et contra spem, in spem, ut multæ fíeret pater gentis prædicávit ac tota mente diléxit, allelúja.

Oratio Prótegat, ut supra 64

Deinde fit Com. seq. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Maríæ Vírgini mirabíliter revelásti : da nobis, ejus méritis et imitatióne ; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur.

Postea S. Hedwigis Vid. :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa et Oratio Deus, qui beátam, ut supra 64

DIE 21 OCTOBRIS

Ss. URSULÆ ET SOC.

VIRG. ET MART.

Simplex

In II Vesp. S. Joannis Cantii fit Com. :

Ant. Ego Dóminus dabo eis nomen mélius a fíliis et filiábus : nomen sempitérnum dabo eis, quod non períbit.

℣. Deus meus, impollúta via ejus. ℟. Protéctor est ómnium sperántium in se.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis.

Scanné avec CamScanner

Deinde S. Hilarionis Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Dum sǽculo quinto fere médio, Attila Hunnórum dux, a prima sua in Gállias irruptióne, ubi ad Cataláunum profligátus fúerat, in Pannóniam revertebátur, ántequam Rhenum trajíceret, nobilíssimam urbem Colóniam Agrippínam aggréditur, et ob ódium cathólicæ religiónis, quæ ibi máxime florébat eam rapína ac cǽdibus vastábat. Sævíssimo autem ímpetu bárbari libídine æstuántes, in puéllas irruébant. Inter quas præclaríssima éxstitit virgo Ursula nómine, quæ céteras hortabátur sócias pótius mori quam virginális pudicítiæ detriméntum pati. Cum Hunnis constantíssime restitísset, hoc agmen pro fide et castitáte fusi sánguinis púrpura decorátum Ursula víctima procúmbens in cælum introdúxit. Postquam vero sæva barbarórum procélla deflúxit, Coloniénses supérstites Vírginum aliorúmquecívium mártyrum córpora ut pretiósa pígnora collegérunt, et summo honóre condidérunt. Super quæ, Martýribus basílica ædificáta est, jam médio sǽculo séptimo sanctárum Vírginum dicta, ob quarum reveréntiam nullum exínde cadáver humánum illic tumulabátur. Parísiis consecráta est sub invocatióne sanctæ Ursulæ olim ecclésia collégii Sorbónici, quæ duo sanctárum Mártyrum cápita in sacrário suo conservábat.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Ad Bened. Ant. Venit Sponsus : * et Vírgines, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hilarionis:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus, per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Intercéssio, ut supra 66

DIE 30 OCTOBRIS

SANCTI LUCANI

MARTYRIS

Simplex

Capit. et Hymnus de Comm. unius Mart.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.
℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Lucáno Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Lucánus, in Aquitánia ortum ducens, desidério annuntiándi Christi nomen versus Auréliam venit, inde Lutétiam ; ubi dum falsórum núminum nefánda sacra insectátur, comprehénsus ab Antoníni imperatóris emissáriis, júdici sístitur. Sed invícto ánimo torménta sústinet, suáque constántia et hortatióne

multos adstántium indúcit ad fidem. Quam ob rem pietátis hóstis eum gládio obtruncári jubet. Sancti Mártyris antiquíssima memória exstat in vico sito in ipsis Carnuténsium et Aurelianénsium fínibus, quem ab ejus nómine Lucaníacum vocant. Inde illíus relíquiæ Parísios pridem allátæ, in ecclésia majóre repósitæ sunt. Tanta vero devotióne a plúribus sæculis apud Parísios sanctus Martyr colebátur, ut in públicis supplicatiónibus cum propter averténdas regni calamitátes, corpus beátæ Genovéfæ ad ædes sanctæ Dei Genitrícis deferebátur, capsa ejus, sancti Marcélli et ejúsdem sanctæ Genovéfæ capsas, juxta antiquíssimum usum, próxima antecéderet.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Lucáno Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 3 NOVEMBRIS

SANCTI MARCELLI

EP. ET CONF.

Duplex majus (m. t. v.)

IN I VESPERIS

Ant. 1 Cum beátus Marcéllus * esset júnior, nihil pueríle gessit in ópere, sed pergébat ad templum, et ibi adorábat Dóminum.

Pss. de Dom., sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Erat miníster * in conspéctu Dómini, ante fáciem sacerdótis.

3 Cum in bonitáte * et alacritáte ánimæ suæ Deo placúerit, státuit illum Dóminus príncipem sanctórum et gentis suæ,

Scanné avec CamScanner

ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

4 Símilem illum fecit * Dóminus in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit.

5 Vir amátor civitátis * Marcéllus, et bene áudiens, pro afféctu pater appellabátur.

Capit. Eccli. 44, 16-17

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum, frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Curávit * gentem suam, et liberávit eam, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, fámulis tuis inviolábilem fídei firmitátem : ut beáti Marcélli, Confessóris tui atque Pontíficis, tránsitum celebrántes, méritis ipsíus interveniéntibus, regni cæléstis gáudia consequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. Omnium Sanctorum :

Ant. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ et Prophétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctíque omnes, intercédite pro nobis.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una trirum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

Ant. et Pss. trium Nocturnorum de Feria occurrenti.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus píetas.

Bened. Deus Pater.

Ex libro sancti Fortunáti Epíscopi de vita sancti Marcélli

Lectio iv

Marcéllus natus Parísiis, mediócris paréntibus sed méritis celsus, in humilitátis conversatióne, in caritátis ubertáte, in castitátis lúmine, in jejuniórum pinguédine, ita se totum cæléstì trádidit disciplínæ ut ab ipsa infántia matúrus accéderet. Hic ítaque venerándis opéribus pene prius sacérdos quam cléricus, jamdúdum dignus qui suscíperet dignitátem, lector effectus est, deínde subdiáconus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

CUM autem esset Marcéllus póntifex ordinátus, quam dignitátem sibi reputábat magis ónerіs quam honóris, tunc quidam de pópulo, dum vellet ad communiónem accédere, mánibus retro ligátis, non póterat ad altáre pertíngere ; sed cum omnes transírent, quasi meta cœpit stare. Quem conspíciens póntifex, interrogávit quid fécerit. Respóndit se peccásse ; cujus confessiónem agnóscens, dixit ei : Veni ; accéde, et ultra non pecces. Qua jussióne absolútus, ad communiónem accéssit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

HIS opéribus inténtus Marcéllus conversatióne clarus, consummatióne præcípuus, kaléndis novémbribus, migrávit ad Christum. Ad cujus túmulum, teste sancto Gregório Turonénsi, cum venísset, in quartána febri decúmbens, coævus Ragnémodus, tunc présbyter et póstea epíscopus parisiénsis, tota die jejúnio et oratióni vacávit, et incólumis surréxit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct., Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, de Comm. Conf. non Pont. 1º loco, cum ℟℟. Conf. Pont.

AD LAUDES

Ant. 1 Cum beátus Marcéllus * esset júnior, nihil pueríle gessit in ópere, sed pergébat ad templum, et ibi adorábat Dóminum.

Pss. de Dominica.

2 Erat miníster * in conspéctu Dómini, ante fáciem sacerdótis.

Scanné avec CamScanner

3 Cum in bonitáte * et alacritáte ánimæ suæ Deo placúerit, státuit illum Dóminus príncipem sanctórum et gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

4 Símilem illum fecit * Dóminus in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit.

5 Vir amátor civitátis * Marcéllus, et bene áudiens, pro afféctu pater appellabátur.

Capit. Eccl. 44, 16-17

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Jesu, Redémptor ómnium,
Perpes coróna Præsulum,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus,

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit :
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia,

Qui rite mundi gáudio
Hujus cadúca réspuens,
Æternitátis præmio
Potítur inter Angelos.

Hujus benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia :
Hujus precátu, sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi, Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sǽculum. Amen.

℣. Pósui adjutórium super poténtem. ℟. Et exaltávi eléctum de plebe mea.

Ad Bened. Ant. Beátus Marcéllus, * fratrum amátor et pópuli, multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, fámulis tuis inviolábilem fídei firmitátem : ut beáti Marcélli, Confessóris tui atque Pontíficis, tránsitum celebrántes, méritis ipsíus interveniéntibus, regni cæléstis gáudia consequámur. Per Dóminum

Et fit Com. Oct. :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus; te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

Scanné avec CamScanner

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Ad Horas Ant. et Pss. de Feria, reliqua de Communi Conf. Pont.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Cum beátus Marcéllus * esset júnior, nihil pueríle gessit in ópere, sed pergébat ad templum, et ibi adorábat Dóminum.

Pss. de Comm.

2 Erat miníster * in conspéctu Dómini, ante fáciem sacerdótis.

3 Cum in bonitáte * et alacritáte ánimæ suæ Deo placúerit, státuit illum Dóminus príncipem sanctórum et gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum.

4 Símilem illum fecit * Dóminus in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit.

5 Vir amátor civitátis * Marcéllus, et bene áudiens pro afféctu pater appellabátur.

Capit. Eccli. 44, 16-17

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum, frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Scanné avec CamScanner

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. O dulce decus * Parisiórum, Marcélle, conféssor Christi, succúrre nobis míseris in advéntu júdicis.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, fámulis tuis inviolábilem fídei firmitátem : ut beáti Marcélli, Confessóris tui atque Pontíficis, tránsitum celebrántes, méritis ipsíus interveniéntibus, regni cæléstis gáudia consequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Caroli :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit ; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes.

Deinde Com. Oct. :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit !

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Postea Ss. Vitalis et Agricolæ Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi.
℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

DIE 5 NOVEMBRIS

SS. RELIQUIARUM

Duplex majus

Omnia de Comm. plurimorum Martyrum, præter sequentia.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Illi viri * misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt ; memória eórum non derelinquétur.

Pss. de Dom., sed loco ultimi, Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Ossa eórum * púllulent de loco suo, nam corroboravérunt Jacob et redemérunt se in fide virtútis.

3 In morte * mirabília operáti sunt ; ossa ipsórum visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

4 Implévit Deus * splendóribus ánimas eórum, et ossa eórum liberábit.

5 Super muros Jerúsalem * constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Capit. Eccli. 15

Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem ; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Hymnus

O vos unánimes, Christíadum chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cǽlitum,
Lætis dícite cántibus.

Scanné avec CamScanner

Cælo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus, pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit ;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et relíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia ;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis ;
Si vos nostra movent, subsídium boni
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra novis spléndida dótibus,
Surget juncta choris spirítuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.

Amen.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. ℟. Unum ex his non conterétur.

Ad Magnif. Ant. Amodo * jam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis ; ópera enim illórum sequúntur illos.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Caroli :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum ; stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Confessóris tui atque Pontíficis contínua protectióne custódi : ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit ; ita nos ejus intercéssio

in tuo semper fáciat amóre ferventes.

Deinde Com. Oct. :

Ant. O quam gloriósum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit !

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Complet. de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Mirábilem in sanctis suis Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus O vos unánimes, ut supra 75

In I Nocturno

Ant. 1 Dixit Deus : * Ego sum qui sum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc nomen mihi est in ætérnum.

Ant. 2 De manu mortis * liberábo eos : de morte rédimam eos.

Ant. 3 Fáciam propter servos meos, * ut non dispérdam totum ; adhuc illis loquéntibus, ego áudiam.

℣. Orábit ad te omnis sanctus. ℟. In témpore opportúno.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 15

Si in hac vita tantum in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium : quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur ; unusquísque autem in suo órdine : primítiæ Christus : deínde ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis ;

Scanné avec CamScanner

cum tradíderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum, et potestátem, et virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors. Omnia enim subjécit sub pédibus ejus. Cum autem dicat : Omnia subjécta sunt ei, sine dúbio præter eum qui subjécit ei ómnia. Cum autem subjécta fúerint illi ómnia, tunc et ipse Fílius subjéctus erit ei qui subjécit sibi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

℟. Abel testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo, * Et per fidem defúnctus adhuc lóquitur. ℣. Dixit Dóminus ad Cain : Quid fecísti? vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et per fidem.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

ALIÓQUIN quid fácient qui baptizántur pro mórtuis, si omníno mórtui non resúrgunt? ut quid et baptizántur pro illis ? ut quid et nos periclitámur omni hora ? Quotídie mórior per vestram glóriam, fratres, quam hábeo in Christo Jesu Dómino nostro. Si (secúndum hóminem) ad béstias pugnávi Ephesi, quid mihi prodest, si mórtui non resúrgunt ? Manducémus et bibámus, cras enim moriémur. Nolíte sedúci : corrúmpunt mores bonos collóquia mala. Evigiláte, justi, et nolíte peccáre ; ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor.

℟. Cum emisísset Phárao pópulum tulit Móyses ossa Joseph secum, eo quod adjurásset fílios Israël, dicens : * Visitábit vos Deus, efférte ossa mea hinc vobíscum. ℣. Fide Joseph móriens, de profectióne filiórum Israël memorátus est, et de óssibus suis mandávit. Visitábit vos Deus.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

SED dicet áliquis : Quómodo resúrgunt mórtui, qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod

Scanné avec CamScanner

séminas non vivificátur nisi prius moriátur. Et quod séminas, non corpus quod futúrum est séminas, sed nudum granum, ut pura trítici aut alicújus ceterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, et unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro : sed ália quidem hóminum, ália vero pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cæléstia, et córpora terréstria ; sed ália quidem cæléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, et ália cláritas stellárum : stella enim a stella differt in claritáte ; sic et resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne. Seminátur in ignobilitáte, surget in glória. Seminátur in infirmitáte, surget in virtúte. Seminátur corpus animále, surget corpus spiritále.

℟. Projecérunt cadáver in sepúlcro Eliséi ; quod * Cum tetigísset ossa Eliséi, † Revíxit homo et stetit super pedes suos. ℣. Per fidem accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Cum tetigísset. Glória Patri. Revíxit homo.

In II Nocturno

Ant. 4 Dico vobis * amícis meis : Ne terreámini ab iis qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant.

Ant. 5 Nonne quinque pásseres * véneunt dipóndio? et unus ex iis non est in oblivióne coram Deo.

Ant. 6 Capílli cápitis vestri * omnes numeráti sunt : nolíte timére, multis passéribus pluris estis vos.

℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum. ℟. Unum ex his non conterétur.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 25 in 2 Cor.

Lectio iv

Sepúlcra sanctórum qui Crucifíxo serviérunt, régias aulas splendóre vincunt, non magnitúdine aut pulchritúdine ædificiórum, nam hac parte illa súperant ; sed, quod multo majus est, coeúntium stúdio.

Nam et ille qui púrpuram gestat, ad sepúlcra illa se confert ut ea exosculétur: abjectóque fastu, supplex stat, sanctósque óbsecrat ut sibi apud Deum præsídio sint: atque ut tentoriórum opíficem et piscatórem, et quidem fato functos, patrónos hábeat, précibus is conténdit qui diadémate cinctus est. Ergóne, dic, quæso, horum Dóminum mórtuum dícere audébis, cujus servi étiam defúncti, eórum qui univérso orbi ímperant patróni sunt? Atque id non solum Romæ fíeri quíspiam víderit, sed étiam Constantinópoli. Nam et hic quoque Constantínum magnum filius ita demum ingénti honóre se affectúrum existimávit, si eum, in piscatóris vestíbulo cónderet. Quodque imperatóribus sunt in aulis janitóres, hoc in sepúlcro piscatóribus sunt imperatóres.

℟. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, ópera quæ ego fácio et ipse fáciet, et majóra horum fáciet: * Et quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam. ℣. Dabo vos in nomen et in laudem ómnibus pópulis terræ. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Quod si cum imperatóriis aulis hæc sepúlcra conférre líbeat, penes hæc rursus victória futúra est. Illic enim multi sunt qui turbam submóveant; hic contra multi qui invítent, atque et dívites et páuperes, et viros et féminas, et servos ac líberos áttrahant. Illic ingens terror, hic lætítia quæ nullis verbis explicári queat. Et dulce spectáculum est imperatórem auro amíctum et coróna redimítum vidére, adstantésque béllicos duces, præféctos, tribúnos, centurióness, prætóres. Verum hæc ádeo illis augustióra magísque treménda sunt, ut præ istis illa scena quædam ac merus ludus censéri possint. Simul enim ac límina transilíeris, locus ipse mentem ad cælum, ad supérnum regem, ad Angelórum exércitum, ad sublíme illud sólium, ad inaccéssam glóriam transmíttit.

℟. Per manus Apostolórum fiébant prodígia, ita ut in platéas ejícerent infírmos, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, * Qui curabántur omnes. ℣. Misericórdia tua, Dómine, advéniens sanábat illos. Qui.

Bened. Ignem.

Lectio vi

SANCTÓRUM ossa dǽmones sistunt et excrúciant, acerbissimísque illis vínculis eos qui adstrícti sunt, solvunt. Quid hoc tribunáli terribílius fingi potest? Cum nemo macernátur, nemo dǽmonis láteri incúmbat, voces et dilaceratiónes, vérbera et cruciátus, lingua conflagrántes audiúntur, dǽmone admirábilem poténtiam mínime ferénte. Atqui isti qui córpora gestárunt, virtútes córpore vacántes súperant; pulvísque, ossa et cinis natúras illas invisíbiles dilácerant. Ideo nemo est qui peregrinatiónem umquam iníre sustíneat, ut imperatórum aulas vídeat : contra, multi plerúmque imperatóres péregre profécti sunt, ut hoc spectáculo frueréntur, si quidem sanctórum Mártyrum templa futúri judícii vestígia et signa éxhibent, dum dǽmones flagris cædúntur, hominésque castigántur ac liberántur. Viden quæ sanctórum étiam vita functórum, vis sit ?

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus per manum Pauli, ita ut super lánguidos deferréntur a córpore ejus sudária et semicínctia ; * Et recedébant ab eis languóres, et spíritus nequam egrediebántur. ℣. Quis símilis tui, Dómine, magníficus in sanctitáte, fáciens mirabília? Extendísti manum tuam. Et recedébant. Glória Patri. Et recedébant.

In III Nocturno

Ant. 7 Ossa árida, * audíte verbum Dómini.

Ant. 8 Dicit Dóminus Deus * óssibus his : Ecce ego intromíttam in vos spíritum, et vivétis.

Ant. 9 Dabo super vos * nervos et succréscere fáciam super vos carnes, et superexténdam in vobis cutem ; et dabo vobis spíritum, et vivétis.

Scanné avec CamScanner

℣. Exsultábunt Dómino. ℟. Ossa humiliáta.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 20, 27

In illo témpore: Accessérunt quidam sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. contra Vigilant. n. 5 et 6

Dolet Vigilántius Mártyrum relíquias pretióso operíri velámine, et non vel pannis vel cilício colligári, vel prójici in sterquilínium, ut solus Vigilántius adorétur. Ergo sacrílegi sumus, quando Apostolórum basílicas ingrédimur? Sacrílegus fuit Constántius imperátor, qui sanctas relíquias Andréæ, Lucæ et Timóthei tránstulit Constantinópolim, apud quas dæmones rúgiunt, et illórum se sentíre præséntiam confiténtur? Omnes epíscopi non solum sacrílegi, sed et fátui judicándi, qui rem vilíssimam et cíneres dissolútos in sérico et vase áureo portavérunt? Mórtuum suspicáris, et idcírco blasphémas. Lege Evangélium: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, non est Deus mortuórum, sed vivórum.

℟. Multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt in vitam ætérnam, et fulgébunt quasi splendor firmaménti, et quasi stellæ in perpétuas æternitátes. ℣. Quia resúrgant mórtui, Móyses osténdit secus rubum, sicut dicit, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob; Deus autem non est mortuórum, sed vivórum. Evigilábunt.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Dicis in libéllo tuo quod, dum vívimus, mútuo pro nobis oráre póssumus; postquam autem mórtui fuérimus, nullíus sit pro álio exaudiénda orátio; præsértim cum Mártyres ultiónem sui sánguinis obsecrántes impetráre non quíverint.

Si Apóstoli et Mártyres adhuc in córpore constitúti possunt oráre pro céteris, quando pro se adhuc debent esse sollíciti, quanto magis post corónas, victórias et triúmphos !

℟. Ecce ego apériam túmulos vestros, et edúcam vos de sepúlcris vestris, pópulus meus;* Et sciétis quia ego Dóminus locútus sum, et feci. ℣. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet. Et. Glória Patri. Et.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Unus homo Móyses sexcéntis míllibus armatórum ímpetrat a Deo véniam ; et Stéphanus, imitátor Dómini sui et primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur ; et postquam cum Christo esse cœperint, minus valébunt? Paulus Apóstolus ducéntas septuagínta sex sibi dicit in navi ánimas condonátas; et postquam resolútus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausúrus est, et pro his qui in toto orbe ad suum Evangélium credidérunt, mutíre non póterit?

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Illi viri * misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt ; memória eórum non derelinquétur.

Pss. de Dominica.

2 Ossa eórum * púllulent de loco suo, nam corroboravérunt Jacob et redemérunt se in fide virtútis.

3 In morte * mirabília operáti sunt ; ossa ipsórum visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

4 Implévit Deus * splendóribus ánimas eórum, et ossa eórum liberábit.

5 Super muros Jerúsalem * constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Capit. Eccli. 15

Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

Adéste, Sancti, plúrimo
Dum thure, vestra dum piis
Colúntur ossa rítibus,
Votis favéte súpplicum.

Non illa, quamquam trístibus,
Imum redácta in púlverem
Dudum sepúlcris squáleant,
Divína virtus déserit.

Sed sancta præsénti fovet
Implétque templa Númine,
Sed et futúræ Spíritus
Post sæcla servat glóriæ.

Hinc ille qui nostris latet
Cinis sub aris cónditus,
Ægris medétur éfficax,
Torquet fugátque dæmones.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Qui dat resurgéndi fidem :
Quo templa nos sumus tui,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrimis. ℟. In exsultatióne metent.

Ad Bened. Ant. Vivent mórtui tui, * Israël ; interfécti mei resúrgent : expergiscímini et laudáte, qui habitátis in púlvere.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes ; cujus in eórum ciméribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. :

Ant. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis númerus, te Mártyrum candidátus laudat exércitus ; te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quǽsumus ; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Ad Horas Ant. et Pss. de Feria.

Scanné avec CamScanner

Ad Primam Lectio brevis Mórtui estis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capit. Eccli. 15

Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exsultáte, justi. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Capit. Rom. 8

Si Spíritus ejus qui suscitávit Jesum a mórtuis hábitat in vobis, qui suscitávit Jesum a mórtuis vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. br. Exsúltent justi, * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capit. Coloss. 3

Mórtui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória Patri. Justi autem.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II VESPERIS

In Eccles. consecr. excepta Metropol. :

Vesp. de seq. sine ulla Com.

In aliis autem Eccles. :

Ant. 1 Illi viri * misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt; memória eórum non derelinquétur.

Pss. de Dom., sed loco ultimi Ps. 115 Confísus sum, ut infra.

2 Ossa eórum * púllulent de loco suo, nam corroboravérunt Jacob et redemérunt se in fide virtútis.

3 In morte * mirabília operáti sunt ; ossa ipsórum visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

4 Implévit Deus * splendóribus ánimas eórum, et ossa eórum liberábit.

5 Super muros Jerúsalem * constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Psalmus 115

Confísus sum, étiam cum dixi : * « Ego afflíctus sum valde » ;

Ego dixi in pavóre meo : * « Omnis homo fallax ! »

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ tríbuit mihi?

Cálicem salútis accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus.

Pretiósa est in óculis Dómini * mors sanctórum ejus.

O Dómine, ego servus tuus sum, ego servus tuus, fílius ancíllæ tuæ : * solvísti víncula mea.

Tibi sacrificábo sacrifícium laudis, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus,

In átriis domus Dómini * in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Super muros Jerúsalem constítui custódes, tota die et tota nocte in perpétuum non tacébunt.

Capit. Eccli. 15

Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Hymnus

O vos unánimes, Christíadum chori,
Sanctórum túmulos et cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cælitum,
Lætis dícite cántibus.

Cælo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hic laus et decus óssibus.

Passim sparsa Deus, pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.

Quin et relíquias et túmulos sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.

Vos quorum cíneres supplícibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium boni
Vestris ferte cliéntibus.

Ut cum nostra novis spléndida dótibus,
Súrget juncta choris spíritutuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus.
Amen.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Cum a mórtuis * resurréxerint, sunt sicut Angeli in cælis; neque enim ultra mori póterunt; et fílii sunt Dei, cum sint fílii resurrectiónis, allelúja.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes; cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct.:

Ant. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchæ et Prophétæ, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítæ, Sanctíque omnes, intercédite pro nobis.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

DIE 6 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecratis Archidiœcesis excepta Metropol.

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex I classis cum Octava

Omnia ut in Brev.

DIEBUS 7, 8, 10, 11, 12 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecratis ut supra :
Com. Oct. Dedicat.

DIE 13 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecratis ut supra :

OCTAVA DEDICATIONIS

Duplex majus

In I Vesp ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta ; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Martini Papæ et Mart.

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, plácatus inténde : et per beátum Martínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem.

Deinde S. Didaci Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Scanné avec CamScanner

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

Ad Matutinum Invit. et Hymn. ut in Festo, Ant. et Pss. de Fer.

In I Noct., Lect. de Script. occurr. cum suis ℟℟.

In II et III Noct., ut in Brev.

Pro S. Didaco :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Dídacus Hispánus, ex óppido sancti Nicolái de Portu diœcésis Hispalénsis, ab ineúnte ætáte, pii sub sacerdótis disciplína, sanctióris vitæ tirocínium exércuit. Deínde, ut fírmius Deo se conjúngeret, in convéntu de Arizzáfa sancti Francísci Assisiénsis régulam in statu laicáli proféssus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiæ et reguláris observántiæ jugo se subjíciens, contemplatióni imprímis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus cæléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur. Canáriis in ínsulis multa perpéssus, martýrii æstuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romæ in convéntu Aræ Cæli ægrotórum curæ destinátus, miro caritátis affectu hoc munus exércuit. Grátia ínsuper curatiónum in eo elúxit. Demum Complúti piíssime ex hac vita migrávit, anno Dómini millésimo quadringentésimo sexagésimo tértio. Illum multis miráculis clarum, Xystus quintus Sanctórum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. Zachǽe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta ; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Didaci :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius humilitáti nostræ ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

In II Vesp. ℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. Ant. O quam metuéndus est * locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Oratio Deus, ut supra.

Et fit Com. S. Josaphat :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu

moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. (Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus.)

Deinde S. Didaci :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Omnípotens, ut supra 90

DIE 21 NOVEMBRIS

PRÆSENTATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRG.

Duplex II classis

Omnia ut in Brev., præter Hymn. in utrisque Vesperis.

Hymnus

Quam pulchre gráditur fília Príncipis,
Templi cum próperat límina tángere!
Prælúdit melióri,
Quam mox ófferet hóstiam.

E matris grémio, Núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat :
Virgo Núminis ara,
Aris víctima sístitur.

Sponso membra Deo móllia dévovet :
Cordis virgínei dédicat íntima :
Verbo débita mater,
Verbo víscera cónsecrat.

Tecum cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat,
Terræ quæ bona déspicis?

Quid nos illáqueant ímproba gáudia?
Cur nos jam pígeat víncula rúmpere?
Dux est Virgo sacérdos,
Fas sit quo próperat sequi.

Ergo nunc tua gens se tibi cónsecrat;
Ergo nostra manes pórtio, tu Deus,
Qui de Vírgine natus,
Per nos sæpe renásceris.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus :
Si nos intus adúris,
Puro corde litábimur.
Amen.

DIE 26 NOVEMBRIS

SANCTÆ GENOVEFÆ

VIRGINIS

DE MIRACULO ARDENTIUM

Duplex majus

Capit. Fratres, Qui gloriátur et Hymnus de Communi.

Scanné avec CamScanner

℣. Ora pro nobis, sancta Genovéfa. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Aggraváta est * manus Dómini super nos, et facta est confúsio mortis magna in civitáte.

Oratio

Deus, qui beátæ Genovéfæ Vírginis patrocínium multíplici virtútum glória decorásti: concéde, quǽsumus; ut ejus précibus a vitiórum æstu liberémur, quæ hódie per grátiam tuam in membris humánis ignis devorántis exstínxit incéndium. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Catharinæ :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quǽsumus ; ut, ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.

Deinde S. Silvestri Abb. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sǽculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es : te súpplices exorámus ; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno.

Postea S. Petri Alexandrini Ep. et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Scanné avec CamScanner

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

INFIRMITÁTEM nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

GENOVÉFA virgo, públicis in calamitátibus Parisiórum urbem suo semper tutáta est patrocínio. Quod cum sæpe álias, tum máxime innótuit anno Dómini millésimo centésimo trigésimo, regnánte Ludovíco sexto, cum gravíssima lues Fránciæ regnum afflíxit (sacrum ignem dixére), qua plúrimi omnis ætátis et sexus, in pédibus, mánibus, mamíllis et genis exústi, cito consumebántur. Hi, adhíbitis frustra medicórum remédiis, ad Deum confugérunt, et quo cítius exaudiréntur, Vírginis Deíparæ opem súpplices implorábant, non e Parisiórum civitáte tantum, sed et e locis remotióribus, ad majórem ejus basílicam tanto número confluéntes, ut vix spátium ad oblatiónes pópuli et offícia clericórum relinquerétur.

℟. Si irrúerint super nos mala, * Stábimus coram domo hac in conspéctu tuo; et clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris, et exáudies, salvósque fácies. ℣. Benedíctus Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra. Stábimus.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

STÉPHANUS, tum epíscopus Parisiénsis, qui páuperum vulgo pater habebátur et hospitalitátis exémplar, pastoráli sollicitúdine populórum salúti invígilans, litanías indíxit, quibus ad sanctæ Maríæ basílicam Sanctórum relíquiæ gestaréntur, ut eórum suffrágiis, et peccatórum véniam, et sæviéntis morbi remédium ægri impetrárent.

His præstitis, cum vis morbi non remítteret, ad ædem sanctæ Genovéfæ processióne étiam hábita, eídem præsuli visum est Genovéfæ corpus, præmísso jejúnio público, solémni pompa deférre; quod in grávibus calamitátibus fíeri solébat. Interim eligúntur e clero sanctæ Genovéfæ viri quos spectáta morum próbitas commendábat, qui capsam húmeris suis deférrent.

℟. Dóminus castigávit nos propter iniquitátes nostras, et * Ipse salvábit nos propter misericórdiam suam. ℣. Infirmitátes nostras accépit, et ægrotatiónes nostras portávit. Ipse.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Itaque constitúto die Stéphanus epíscopus accéssit cum clero sanctæ Maríæ et magno pópuli concúrsu, atque inde ad basílicam Cathedrálem processérunt. In ipso ecclésiæ ingréssu, ægróti omnes, tribus excéptis, sanitátem recuperárunt. Quo miráculo permóti fidéles, in gratiárum actiónes effúsi sunt. Anno sequénti, cum Innocéntius Papa secúndus Lutétiam venísset, compérta miráculi veritáte, ánnuo Festo illíus memóriam celebrári jussit; sed et juxta majórem basílicam, in rei monuméntum, ecclésia insigníta est título sanctæ Genovéfæ de Miráculo Ardéntium.

℟. Concurrébat multitúdo civitátum, afferéntes ægros, * Et curabántur omnes. ℣. Tu es, Dómine, qui vitæ et mortis habes potestátem. Et curabántur omnes. Glória Patri. Et curabántur omnes.

In III Nocturno, Homil. in Evang. Símile erit, de Communi Virginum.

Pro S. Silvestro:

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Silvéster, Auximi in Picéno nóbili génere ortus, puerílem ætátem lítteris ac bonis móribus mirífice exornávit. Sacris lítteris rite imbútus et canónicus factus, exémplo et sacris conciónibus pópulo opem tulit. Inter funus nóbilis cujúsdam defúncti, in apérto túmulo formósi viri suíque propínqui

defórme cadáver conspíciens : Ego, inquit, sum quod hic fuit ; quod hic est, ego ero. Et mox in solitúdinem, majóris perfectiónis stúdio, secéssit, ibíque vigíliis, oratiónibus, jejuniísque déditus fuit. Ut autem magis laténet hómines, várias mutávit sedes, ac tandem ad montem Fanum, locum eo témpore desértum, in honórem sancti Benedícti templum eréxit, congregationísque Silvestrinórum fundaménta jecit. Ibi mira sanctitáte mónachis præfúlsit ; spíritu prophetíæ, potestáte in dæmones, aliísque donis enítuit, quæ semper profúnda humilitáte consérvávit. Obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo séptimo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Neque herba *, neque malágma sanávit eos : sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia.

Oratio

Deus, qui beátæ Genovéfæ Vírginis patrocínium multíplici virtútum glória decorásti : concéde, quæsumus ; ut ejus précibus a vitiórum æstu liberémur, quæ hódie per grátiam tuam in membris humánis ignis devorántis exstínxit incéndium. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Silvestri :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es : te súpplices exorámus ; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno.

Scanné avec CamScanner

Deinde S. Petri Alexandrini :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Vesp. de seq., Com. præced. ut infra.

DIE 27 NOVEMBRIS

MANIFESTATIONIS IMMAC. VIRG. MARIÆ A SACRO NUMISMATE

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Tota pulchra * es, María, et mácula originális non est in te.

Pss. de B. M. V.

2 Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3 Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5 Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capit. Prov. 8

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi et ego jam concépta eram.

Hymn. Ave, maris stella.

℣. Signum magnum appáruit in cælo. ℟. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus.

Ad Magnif. Ant. Qui me invénerit, * invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen,

Scanné avec CamScanner

quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis caréscere voluísti : concéde ; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

Et fit Com. S. Genovefæ :

Ant. Próperans deprecári pro pópulis, réstitit iræ, et finem impósuit necessitáti.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátæ Genovéfæ Vírginis patrocínium multíplici virtútum glória decorásti : concéde, quǽsumus ; ut ejus précibus a vitiórum æstu liberémur, quæ hódie per grátiam tuam in membris humánis ignis devorántis exstínxit incéndium.

Deinde S. Silvestri :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sǽculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es : te súpplices exorámus ; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per.

Complet de Dominica

Ad Complet. et per Horas diei Dox. :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

Tutéla præsens ómnium,
Salvéto Mater Núminis ;
Intácta in Hevæ fíliis,
Tu fœda mundes péctora.

Numísma quos ornat tuum,
Fove benígno lúmine ;
Virtus sit inter prælia
Ægrísque in hostes præpotens.

Sit fléntibus solátium,
Ægris levámen ártubus ;
In mortis hora, fúlgidæ
Æternitátis spónsio.

Jesu, tuam qui fíniens
Matrem dedísti sérvulis,
Precánte Matre, fíliis
Largíre cæli gáudia.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Admirábile est * nomen tuum, Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum præparásti.

Pss. trium Noct. ut in Festis B. M. V.

Ant. 2 In sole pósuit * Deus tabernáculum suum.

Ant. 3 In Conceptióne sua * accépit María benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam. ℟. Et háuriet salútem a Dómino.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Apocalýpsi beáti Joánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 12

Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim : et in útero habens, clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat. Et visum est áliud signum in cælo : et ecce draco magnus, rufus, habens cápita septem, et córnua decem ; et in capítibus ejus diadémata septem : et cauda ejus trahébat tértiam partem stellárum cæli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra ; ut, cum peperísset, fílium ejus devoráret. Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea ; et raptus est fílius ejus ad Deum, et ad thronum ejus ; et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum

a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta.

℟. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. Ne tímeas.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Et factum est prælium magnum in cælo: Míchaël et Angeli ejus præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus: et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem: et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus: quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicérunt eum propter sánguinem Agni et propter verbum testimónii sui, et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis. Væ terræ et mari, quia descéndit diábolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod módicum tempus habet.

℟. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me: * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Et postquam vidit draco quod projéctus esset in terram, persecútus est mulíerem, quæ péperit másculum: et datæ sunt mulíeri alæ duæ áquilæ magnæ, ut voláret in desértum in locum suum, ubi álitur per tempus et témpora et dimídium témporis, a fácie serpéntis. Et misit serpens ex ore suo post mulíerem, aquam tamquam flumen,

Scanné avec CamScanner

ut eam fáceret trahi a flúmine. Et adjúvit terra mulíerem; et apéruit terra os suum, et absórbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et irátus est draco in mulíerem: et ábiit fácere prælium cum réliquis de sémine ejus, qui custódiunt mandáta Dei, et habent testimónium Jesu Christi. Et stetit supra arénam maris.

℟. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distíllans lábia ejus: * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. Mel. Glória Patri. Mel.

In II Nocturno

Ant. 4 Diffúsa est * grátia in Conceptióne ejus, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ant. 5 Adjúvit eam * Deus mane dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. 6 Gloriósa * dicta sunt de te, cívitas Dei: fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. Mélior est fructus meus auro. ℟. Et genímina mea argénto elécto.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Anno Christi millésimo octingentésimo trigésimo, quod legítima testántur monuménta, beatíssima Dei Mater sanctimoniáli cuídam féminæ, Catharínæ Labouré nuncupátæ, e família puellárum Caritátis sancti Vincéntii a Paulo, sese vidéndam exhíbuit; eamdémque jussit curáre ut Numísma in honórem Immaculátæ Conceptiónis suæ cuderétur. Cudéndi autem ea lex erat ex visu, ut in advérsa fronte Deíparæ prostáret effígies, virgíneo quidem pede serpéntis próterens caput, mánibus vero pátulis subjéctum terræ orbem rádiis illústrans; inscrípta circumcírca ea prece: O María concépta sine peccáto, ores pro nobis qui ad te confúgimus. Inésse autem in fronte avérsa sacrosánctum Maríæ nomen debébat, eminénte supra crucis signo, binis inférius adjéctis Córdibus, áltero óbsito spinis, áltero ense transfósso.

Jubénti Vírgini páruit puélla ; remque divínitus accéptam evéntus comprobávit. Vix enim novum Numísma in vulgus pródiit, íllico a christifidélibus, uti relígio Matri sanctíssimæ pergráta, coli certátim ac gestári cœptum ; in Gállia primum, mox, probántibus epíscopis, ubíque terrárum. Cujus augescéntis in dies reveréntiæ ac fidúciæ id causæ fuit, quod a Vírgine respiciénte plúrima patrabántur mira seu córporis ærúmnis levándis seu ánimis e vitiórum cœno eruéndis.

℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens. * Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram. ℣. Deus enim creávit me in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. Nondum.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

In his illud præ céteris memorátu dignum, quod Alphónso Ratisbónne Romæ cóntigit décimo tértio Kaléndas Februárii anno millésimo octingentésimo quadragésimo secúndo, legítimo ecclesiásticæ auctoritátis testimónio comprobátum. Argentoráti Judáicis ortus paréntibus, in Oriéntem iter fáciens Alphónsus Romæ substíterat. Ubi cum amicítiam cum nóbili viro, ex hǽresi ad cathólica sacra convérso, junxísset, is, adolescéntis miserátus vicem, illum omni ope conténdit ut ad veram Christi religiónem tradúceret. Nihil tamen verbis proféctum ; unum hoc impetrátum, ut hebrǽus homo sacrum Deíparæ Numísma e collo pendens deférret. Preces ínterim pro eo ad Vírginem Immaculátam adhibebántur. Nec diu Virgo exoráta auxílium conférre dístulit. Nam, cum Alphónsus templum sancti Andréæ in vico nemorénsi, vulgo delle Fratte, fortúitu sub merídiem esset ingréssus, repénte illi ædes obscurári visa, una excépta Archángeli Michaélis cella, unde vivídior contra lux emicábat. Eo dum, horróre corréptus, advértit óculos,

Scanné avec CamScanner

ecce illi beáta Virgo María conspiciéndam se præbet vultu mitíssimo, eóque hábitu quo in sacro Numísmate refértur.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit : * Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula. ℣. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. Candor est.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Cæléstì visu súbito immutári Alphónsus; tum lácrimis perfúsus judáicam abhorrére perfídiam, et cathólicam religiónem, quam paulo ante detestabátur, veram profitéri totóque péctore ampléctì. Christiána dógmata edóctus, paucis post diébus, commúni Urbis lætítia, sacro baptísmate lustrátus est. Tantæ ígitur pientíssimæ Matris per sacrum Numísma poténtiæ ac liberalitátis ut memória recolerétur, Leo décimus tértius Póntifex máximus Manifestatiónis ejúsdem beátæ Vírginis Offícium et Missam celebráre concéssit.

℟. Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus : * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto justítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Sanctimónia et magnificéntia * in Conceptióne ejus; annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam ejus.

Ant. 8 Lætámini omnes * in Dómino : et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Ant. 9 Notum fecit * Dóminus opus suum : in conspéctu géntium revelávit glóriam Genitrícis suæ.

℣. Esto mihi in domum refúgii. ℟. Ut salvum me fácias.

Pater. Absol. A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii   Cap. 2, 1-11

In illo témpore : Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ : et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem

et Jesus, et discípuli ejus, ad núptias. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

Dom. I post Epiph. Sermo I

Vinum non habent. Compássa est María eórum verecúndiæ, sicut miséricors, sicut benigníssima. Quid de fonte pietátis procéderet, nisi píetas? Quid, inquam, mirum si pietátem éxhibent víscera pietátis? Nonne qui pomum in manu sua tenúerit dimídia die, réliqua diéi parte pomi servábit odórem? Quantum ígitur víscera illa virtus pietátis affécit, in quibus novem ménsibus requiévit? Nam et ante mentem replévit quam ventrem, et cum procéssit ex útero, ab ánima non recéssit. Dúrior fortásse et austérior vidéri posset respónsio Dómini : sed nóverat ille cui loquerétur ; et quis loquerétur illa non ignorábat. Dénique ut scias, quómodo respónsum ipsum accéperit, aut quantum de Fílii benignitáte præsúmpserit, ait minístris : Quæcúmque præcéperit vobis, serváte et fácite.

℟. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus : * Emissiónes tuæ paradísus, o María. ℣. Aperi, mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. Emissiónes tuæ.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Ibid. Sermo 2

Quid mihi et tibi est, múlier? Quid tibi et illi est, Dómine? Nonne quod fílio et matri? Quid ad illam pértines quæris, cum tu sis benedíctus fructus ventris ejus immaculáti? Non ipsa est, quæ salvo pudóre concépit et sine corruptióne te péperit? Nonne ipsa est, in cujus útero novem ménsibus morátus es, cujus virgíneis ubéribus lactátus es, cum qua jam duódecim annórum factus de Jerúsalem descendísti, et eras súbditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid moléstus es illi, dicens : Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum.

Sed maniféste jam vídeo, quod non velut indígnans aut confúndere volens Vírginis Matris téneram verecúndiam, díxeris : Quid mihi et tibi? Cum, veniéntibus ad te juxta Matris præcéptum minístris, nihil cunctátus fácias quod illa suggéssit.

℟. Magníficat ánima mea Dóminum, * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia. Glória Patri. Quia.

Bened. Ignem.

Lectio ix

Serm. de duod. prærogativis

Quid ergo ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil áusterum in ea, nihil terríbile : tota suávis est, ómnibus ófferens lac et lanam. Revólve diligéntius evangélicæ históriæ sériem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel ténuis indignatiónis occúrrerit in María, de cétero suspéctam hábeas et accédere vereáris. Quod si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis et grátiæ, plena mansuetúdinis et misericórdiæ, quæ ad eam pértinent invéneris, age grátias ei, qui talem tibi mediatrícem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil potest esse suspéctum; quæ ómnibus misericórdiæ sínum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi : captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscóndat a calóre ejus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Tota pulchra * es, María, et mácula originális non est in te. Pss. de Dominica.

2 Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3 Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificiéntia pópuli nostri.

4 Benedícta es tu, * Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

Scanné avec CamScanner

5 Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capit. Prov. 8

DÓMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram.

Hymnus

O GLORIÓSA vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. O María, sine labe originális concépta. ℟. Intercéde pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Bened. Ant. Pósuit in ea * verba signórum suórum et prodigiórum suórum in terra.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde ; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis.

Ad Horas Pss. de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Tota pulchra * es, María, et mácula originális non est in te.

In ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Signum magnum, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Vestiméntum tuum * cándidum quasi nix et fácies tua sicut sol.

Capit. Dóminus possédit me, ut supra.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Deus omnípotens * Præcínxit me virtúte. Deus omnípotens. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit me virtúte. Glória Patri. Deus omnípotens.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam Matrem tuam ab orígine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti : concéde ; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérna : Qui vivis et regnas.

AD SEXTAM

Ant. Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capit. Ezech. 44

Porta hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israël ingréssus est per eam : erítque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. br. In hoc cognóvi, * Quóniam voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam voluísti me. Glória Patri. In hoc.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

AD NONAM

Ant. Trahe nos, * Virgo immaculáta, post te currémus, in odórem unguentórum tuórum.

Capit. Apoc. 12

Signum magnum appáruit in cælo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. br. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepísti me. Exaltábo te. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Quóniam suscepísti me. Glória Patri. Exaltábo te.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

Scanné avec CamScanner

IN II VESPERIS

Omnia ut in Vesp. 96, præter :

Ad Magnif. Ant. Sancta María, ut supra 96

Et fit Commemoratio sequentis et S. Severini Conf.

DIE 28 NOVEMBRIS

SANCTÆ CATHARINÆ LABOURÉ

VIRGINIS

Duplex

Pro Com. in II Vesp. præced. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem, mirábili Immaculátæ Genitrícis tuæ manifestatióne recreáre dignátus es : tríbue, quǽsumus ; ut sanctíssimam Matrem tuam exémplis ejúsdem Beátæ pia devotióne recoléntes, ætérnæ vitæ gáudia consequámur.

Deinde S. Severini Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis : da nobis, exémplo et intercessióne beáti Severíni, cujus solémnia celebrámus ; temporália ómnia despícere, et ad ætérna tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Catharína Labouré, anno millésimo octingentésimo sexto, die secúnda Maji, e piis et honéstis paréntibus in loco Fain-les-Moutiers, intra fines Diœcéseos Divionénsis,

nata est. A pueritia suávibus móribus et singulári pietáte elúxit. Novénnis, amíssa genitríce, Maríæ Vírgini, uti fíliam, se commendávit, et apud ámitam, velut álteram matrem, biénnio commoráta est. In patérnam domum revérsa, rei familiáris curam alácriter suscépit, et pietátis ac religiónis exercítia, sive domi, sive in ecclésia impéndere numquam prætermísit. Sacra Synáxi prímitus refécta, máximo ánimi ardóre toto vitæ suæ témpore sanctíssimam Eucharístiam summópere diléxit. Perfectióris ac religiósæ vitæ desidério flagrans, Institútum Societátis Puellárum Caritátis ampléctí constítuit, quod tamen pium propósitum, obsisténte patre, tunc éxsequi dístulit, auxílium a Deo, témpore opportúno, fidénter exspéctans.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Tandem consentiénte patre, voti compos facta, inter Postulántes domus Castri ad Sequánam adscíta est ; deínde in Parisiénsem domum príncipem « Seminárii », uti ajunt, transláta est. Eádem teste, jam a tyrocínii témpore Virgo Immaculáta ei appáruit, curámque concrédidit cudéndi Sacri Numísmatis, referéntis quidem in recta fronte Deíparæ ipsíusmet, quæ virgíneo pede caput serpéntis protéreret, manibúsque exténsis subjéctum terræ orbem rádiis illustráret, effígiem, circum descríptis verbis : « O María concépta sine peccáto, ora pro nobis, qui ad te confúgimus » ; in versa autem fronte sanctum Maríæ nomen, eminénte supra Crucis signo, duóbus inférius adjéctis córdibus, áltero óbsito spinis, áltero ense transfósso. Prodigiósi Numísmatis íllico mirábilis fuit propagátio, in dies succréscens.

Scanné avec CamScanner

In exsequéndo Vírginis mandáto, singuláris humílitas Dei fámulæ ádeo elúxit, ut quadragínta sex per annos nomen quidem suum in hisce apparitiónibus numquam revelári permíserit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

NEC solum humilitáte excéllere visa est. Eádem sane, expléto tyrocínio, in Parisiénsem domum « Enghien » Puellárum a Caritáte, transláta, in próximos exímia pietáte refúlsit, et erga páuperes senes, hospítio recéptos, mirábilem curam ac dilectiónem patefécit. Omnia in Deo conspíciens, verba sua, optáta, cogitatiónes ad Deum assídue diréxit. Sanctíssimam Deíparam, uti amantíssima fília, cóluit : suis soróribus innúmera virtútum ac præsértim imperturbábilis patiéntiæ exémpla præbuit. Sanctam vero vitam, abscónditam cum Christo in Deo transáctam, última die Decémbris, anno millésimo octingentésimo septuagésimo sexto, sacris iterátis votis, Dei fámula, ómnibus e domo soróribus adstántibus, placidíssimo éxitu cum immortáli commutávit. Fulgéntem autem signis rite probátis, Pius Papa undécimus eam beatárum, Pius vero duodécimus sanctárum albo Vírginum adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

CATHARÍNA Labouré, intra fines Diœcéseos Divionénsis in Gállia e piis paréntibus nata,

jam a puerítia índolis suavitáte, morum candóre ac peculiári erga beatíssimam Vírginem devotióne elúxit. Vigésimum quintum attíngens ætátis annum, Institútum Puellárum Caritátis Sancti Vincéntii a Paulo ingréssa est, ipsíque jam a tyrocínii témpore, uti éadem Dei fámula póstea testabátur, Immaculáta Virgo benigníssime appáruit eidémque curam concrédidit Sacri cudéndi Numísmatis in honórem Immaculátæ Conceptiónis suæ. Expléto tyrocínio, humilitáte atque in próximos magna caritáte fulsit, curámque erga páuperes senes hospítio recéptos mirabíliter gessit; ómnia in Deo conspíciens, verba sua, optáta, cogitatiónes ad Deum dírigens, máxima júgiter pietáte elúxit; erga Jesum Christum sub Eucharísticis velis delitescéntem succénso amóre flagrávit, et sanctíssimam Vírginem Dei Matrem qua fília amantíssima cóluit. Ultima die mensis Decémbris, anno millésimo octingentésimo septuagésimo sexto, ætátis vero suæ septuagésimo, Parísiis sanctam vitam « abscónditam cum Christo in Deo » cum immortáli commutávit. Fulgéntem autem signis, rite probátis, Pius Papa undécimus eam beatárum, Pius vero duodécimus sanctárum albo Vírginum adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile est regnum cælórum, de Communi Virginum 1º loco.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Andreæ, et fit ejus Com. ad Laudes ante Com. S. Severini, alias

Pro S. Severino Conf. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Severínus, apud Lutétiam Parisiórum monásticam vitam ampléxus, ut multo facílius et libérius divínis vacáret obséquiis et rerum cæléstium contemplatióni, cella ita sese conclúsit, ut omnem hóminum convíctum et conspéctum, quantum fíeri póterat,

vitáret; a quo beátus Clodoáldus, Clodovéi primi ex Clodomíre nepos, et religiónis hábitum, et sanctíssime in illo propósito vivéndi ratiónem regulámque accépit. Tandem sanctitátis fama et vitæ plane angélicæ commendatióne célebris ex hac vita decéssit. Corpus ejus diu quiévit in ecclésia Parisiénsi.

Te Deum laudámus.

¶ Si autem ix Lectio nec Vig. antic. nec S. Severini sit dicenda, sumatur Lectio ix In quinque autem córporis sénsibus, ut in Communi.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæSrénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem, mirábili Immaculátæ Genitrícis tuæ manifestatióne recreáre dignátus es : tríbue, quæsumus ; ut sanctíssimam Matrem tuam exémplis ejúsdem Beátæ pia devotióne recoléntes, ætérnæ vitæ gáudia consequámur : Qui vivis.

Et fit Com. S. Severini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis : da nobis, exémplo et intercessióne beáti Severíni, cujus solémnia celebrámus ; temporália ómnia despícere, et ad ætérna tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Dómine, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. S. Saturnini Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui : ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

FESTUM DECEMBRIS

DIE 1 DECEMBRIS

SANCTI ELIGII

EP. ET CONF.

Simplex

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Elígius Lémovix, aurífaber indústrius, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ ejus fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram sacerdóte, et exínde in ópera pietátis omni stúdio incúbuit. Vária ejus hortátu et impénsis exstrúcta sunt templa et monastéria. Plúrima auro, argénto et gemmis ornávit sepúlcra sanctórum. Mausoléum imprímis mártyris Dionýsii miro artifício decorávit. Tandem ad Novioménsem episcopátum assúmptus non modo sibi commíssi gregis salúti invigilávit, sed álios ad septentriónem pópulos Christo lucrátus est. Non minus Dagobérto accéptus quam Clotário patri, et ab illo ad Armoricórum regem pacis componéndæ causa missus, reges ambos felíci fœdere sociávit. Septuagenário major, in pace obdormívit prídie kaléndas decémbres anno, ut créditur, sexcentésimo quinquagésimo nono.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Elígium Epíscopum in Ecclésia posuísti ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo : da nobis, ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : Qui vivis.

Scanné avec CamScanner

INDEX

FESTORUM PROPRIORUM

ET COMMEMORATIONUM

AUGUSTUS

29 S. Mederici Abbatis 3

SEPTEMBER

1 Oct. S. Ludovici 5
2 Bb. Mm. Septembris. 10
27 S. Ceranni Ep. et Conf. 14

OCTOBER

1 S. Remigii Ep. et Conf. 15
3 S. Teresiæ a Jesu Inf. Virg. 18
5 S. Auræ Virg. 30
8 Vigilia Ss. Dionysii et Soc. Mm. 32
9 Ss. Dionysii et Soc. Mm 33
12 Com. Omn. Ss. Episcop. 46
16 Oct. Ss. Dionysii et Soc. 59
21 S. Ursulæ et Soc. Vv. Mm. 65
30 S. Lucani 67

NOVEMBER

3 S. Marcelli Ep. et Conf. 68
5 Ss. Reliquiarum 75
6 Dedic. Eccles. propriæ 88
13 Oct. Dedic. Eccles. 88
21 Præsentationis B. M. V. 91
26 S. Genovefæ Virg.. 91
27 Immac. V. M. a Sacro Numismate. 96
28 S. Catharinæ Labouré Virg. 107
28 Com. S. Severini Conf. 107

DECEMBER

1 S. Eligii Ep. et Conf. 112

Scanné avec CamScanner

INDEX HYMNORUM

Adeste sancti plurimo (Claudii Santolii). 84
Ad sanctos cineres (Joann. Santolii) 41
Altari medio. 58
Cælo quos eadem. 47
Hymnis dum resonat. 48
Immensa Christi caritas. 27
Jesu, Redemptor omnium. 55
Luce divina. 29
Lux de luce, Deus (Joann. Santolii). 33
Nomen decusque. 19
O vos unanimes (Claudii Santolii). 75
Quam pulchre graditur (Urbani Robinet) 91
Rex summe regum (Isaac. Habert). 6
Templa nunc fument (Isaac. Habert). 7
Tutela præsens omnium. 98

Imprimatur.

Turonibus, die v Februarii MCMLIII.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
Archiepisc. Turon.

Imprimé en France.

1658-1953. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 1er trimestre 1953.

Scanné avec CamScanner

DIE 20 OCTOBRIS

B. MARIÆ TERESIÆ DE SOUBIRAN

VIRGINIS

Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam Terésiam Vírginem in advérsis sustinéndis et in sui abnegatióne mirábilem effecísti, quique per eam novam Vírginum famíliam congregásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, spirituálium inimicórum certámina fórtiter superáre. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pæniténtiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es : da nobis, quæsumus ; ut, ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cæléstia capiámus.

Deinde Com. S. Joannis Cantii Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut, sancti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes ; ejus méritis, indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones De virgínibus, 1° loco.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

MARÍA Terésia, stirpe perántiqua de Soubiran, Castronodárii prope Carcassónam nata, inde ab infántia beátæ Maríæ Vírgini plane singulári modo devóta éxstitit et in Congregatiónem Mariánam cooptáta, exémpla innocéntiæ, pietátis caritatísque præbuit. Puélla vix quatuórdecim annórum, forma atque ingénio amábilis, votum emísit castitátis ; póstea in Carmelitárum claustro, Deo dicáre vitam sibi propósuit ; sed pátrui consílio, cum Belgicárum Beghinárum vitæ institútum regulásque novísset, in pátriam revérsa, piam nonnúllis cum sodálibus earúmdem vitam Castronodárii inchoávit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

DIVÍNO Spíritu affláta, vitæ stricte religiósæ cúpida, approbánte archiepíscopo Tolosáno, confirmántibus dein Summis Pontifícibus, Tolosáno Institúto novam formam, novas régulas, novum nomen « Maríæ Auxiliatrícis » dedit. Quæ Socíetas vitam contemplatívam cum vita actíva ea consociábat mensúra, quæ sodálium ánimos ad própriam perféctam virtútem divinarúmque rerum contemplatiónem et ad proximórum utilitátem procurándam sollicitáret. Adolescéntibus infírmis et indigéntibus atque imprímis puéllis, quæ in discrímine honestátis versaréntur, tutum hospítium, sédulum solátium necnon auxílium firmum, animórum inténsam curam Dei fámula præbuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Scanné avec CamScanner

Bened. Ignem.

Lectio vi

DEO permitténte, formidolósa procélla Maríam Terésiam in imam abjectiónem iníque dejécit. Calúmniis cruciáta, a filiábus suis derelícta, munus antístitæ generális depónere et Institútum a se fundátum desérere coácta fuit. Intérim cum factiósa fémina locum fundatrícis usurpásset, fámula Dei, angóribus mortálibus pressa, ásylum extra suam Congregatiónem mendicáre débuit, frustra apud suas fílias réditum implórans. Tandem Parísiis in domum Dóminæ Nostræ a Caritáte recépta fuit. E Congregatiónis fundatríce in novítiam convérsa atque ex altis magístræ et antístitæ munéribus in húmilem ostiáriam, illic quoque mira ómnium virtútum specímina prótulit. Nec sibi nec labóri parcens quasi martýrium pértulit per quíndecim annos, donec die séptima mensis Június anno millésimo octingentésimo octogésimo nono extrémum vitæ spíritum sanctíssime édidit, annos nata quinque supra quinquagínta. Cógnitis ex Divína Providéntia nefáriis dolis, quibus María Terésia oppréssa fuit, sánctitas ejus, reintegráta fama, clárius appáruit. Mox virtútibus heróicis et miráculis, post sevéram trútinam, comprobátis, a Pio Papa duodécimo María Terésia inter beátas Vírgines reláta est.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile erit, de Comm. Virg. 1° loco.

Pro S. Joanno Cantio :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

JOÁNNES, in óppido Kenty Cracoviénsis diœcésis, a quo Cántii cognómen duxit, Stanisláo et Anna, piis et honéstis paréntibus natus, morum suavitáte et innocéntia, ab ipsa infántia

spem fecit máximæ virtútis. Sacérdos factus, stúdium auxit christiánæ perfectiónis. Ilkusiénsem paróchiam annis áliquot egrégie administrávit. Quidquid témporis a stúdio supérerat, partim salúti proximórum, sacris præsértim conciónibus curándæ, partim oratióni dabat. Quater ad Apostolórum límina, pedes et viária onústus sárcina, venit, tum ut Sedem apostólicam honoráret, tum, ut sui (sic enim ajébat) purgatórii pænas, expósita illic quotídie peccatórum vénia, redímeret. Virginálem pudicítiam vigilantíssime custodívit, et ante óbitum, per annos trigínta círciter et quinque, ab esu cárnium abstínuit. Prídie Nativitátis Christi volávit in cælum. A Cleménte Papa décimo tértio fastis Sanctórum adscríptus, inter primários Polóniæ ac Lithuániæ patrónos cólitur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam Terésiam Vírginem in advérsis sustinéndis et in sui abnegatióne mirábilem effecísti, quique per eam novam Vírginum famíliam congregásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, spirituálium inimicórum certámina fórtiter superáre. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Joannis Cantii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut, sancti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes ; ejus méritis, indulgéntiam apud te consequámur. (Per Dóminum.)

Scanné avec CamScanner

In II Vesperis ℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Deus, qui beátam, ut supra.

Et fit Com. sequentis.

Ubi hoc Festum celebratur sub ritu duplici II cl., fit Com. tantum S. Joannis Cantii.

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

INTERCÉSSIO nos, quǽsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Deinde Com. S. Joannis Cantii :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Da, quǽsumus, ut supra.

Postea Com. Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm. :

Ant. Prudéntes Vírgines, aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio

DA NOBIS, quǽsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

ELOGIUM

IN APPENDICE MARTYROLOGII ROMANI INSERENDUM

Séptimo Idus Júnii. Luna...

Lutétiæ Parisiórum natális beátæ Maríæ Terésiæ de Soubiran, Vírginis, Societátis a María Auxiliatríce Conditrícis, in adversitátibus perferéndis, humilitáte et fortitúdine admirábilis, quam Pius Papa duodécimus inter beatárum Vírginum cætum adscrípsit. Ipsíus tamen festívitas tertio décimo Kaléndas Novémbris celebrátur.

Tertiodécimo Kaléndas Novémbris. Luna...

Beátæ Maríæ Terésiæ de Soubiran, Vírginis, Societátis a María Auxiliatríce Conditrícis, cujus dies natális séptimo Idus Júnii recólitur.

Scanné avec CamScanner

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. 48/952

PARISIEN. SEU CARCASSONEN.

CÆLITUM honoribus beatæ Mariæ Teresiæ de Soubiran, Virgini, Societatis a Maria Auxiliatrice Conditrici, die 20 Octobris 1946 in Patriarchali Basilica Vaticana solemniter conlatis, hoc unum supererat, ut nimirum de eadem Beata annua solemnitas Officio et Missa propriis et approbatis celebraretur. Hujusmodi autem Officii et Missæ schemata una cum Elogio in Martyrologium Romanum inserendo Revmus P. Carolus Miccinelli, Societatis Jesu ac Causæ Postulator legitime constitutus, redigenda curavit Sacrorumque Rituum Congregationis judicio pro opportuna approbatione humiliter subjecit. Sacra porro eadem Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Papa XII specialiter tributarum, proposita schemata diligenter revisa et a se emendata, prouti in adjecto prostant exemplari, probavit et in festo ejusdem beatæ Mariæ Teresiæ de Soubiran, die 20 Octobris, sub ritu duplici secundæ classis in Domo principe Societatis ab ipsa fundatæ et in Domo ubi ejusdem beatæ corpus asservatur, sub ritu vero duplici majore in aliis Domibus, ac ritu duplici minore in Parisiensi et Carcassonensi diœcesibus recolendo, adhibenda benigne concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Novembris 1952.

† C. CARD. MICARA, PRO-PRÆF.

† A. CARINCI, ARCHIEP. SELEUCIEN.,
S. R. C. a secretis.

Scanné avec CamScanner

Concordat cum originali.

Parisiis, die XXVIII Septembris MCMLIII.

A. DUBOIS
Can. hon., a secretis.

Imprimatur.

Turonibus, die XX Augusti MCMLIV.

† LUDOVICUS JOSEPHUS
ARCHIEP. TURONEN.

IMPRIMÉ EN FRANCE

2052-1954. — Turonibus, typis Mame.
Dépôt légal : 3e trimestre 1954.

Scanné avec CamScanner